Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Cornelius Nepos

Aemilii Probi, seu Cornelii Nepotis liber, de vita excellentium imperatorum, & T. Pomp. Attici. Ex mss. & Vett. libris restitutus & notis illustratus. Corneliae Gracchorum matris fragmenta ex Cor. Nepote: nunc primum edita. Fragmenta alia eiusdem Nepotis. Ex bibliotheca Jo. Savaronis, Montisferrandi Senatoris, & Praefecti anuli

Lubecae: Jauch, 1628

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0001
DFG

20. a. 16.

Cd_6889 1.2.


C.II.e.3595 1.2.

AA.XIV.23b.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0002

DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0004
DFG

ÆMILII PROBI,
seu
CORNELII NEPOTIS
liber, de vita excellentium impe-
ratorum, & T. Pomp.
Attici.

Ex mss. & Vett. libris restitutus &
notis illustratus.

CORNELIÆ GRACCHORUM
matris fragmenta ex Cor. Nepote: nunc primùm edita.

Fragmenta alia ejusdem Nepotis.

Ex bibliotheca Jo. SAVARONIS,
Montisferrandi Senatoris, &
Præfecti anuli.

LUBECÆ,
Ex Officina Hæredum SAMUELIS JAUCHII.
Anno M. DC. XXVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0005
DFG


Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0006
DFG

DE HUJUS LIBRI AUCTORE.

HUnc librum Cor. Nepoti asserit ipsa præfatio, *Non dubito fore plerosq; Attice, &c.* & ex vita Catonis, illa, *hujus de vita & moribus, plura in eo libro prosecuti sumus, quem separatim de eo fecimus, rogatu* T. *Pomp. Attici, &c.* cujus quidem libri fragmentũ, ex Cornelio Nepote laudare videtur, Gellius l. II. c. 8. præterea libros de viris inluſtribus, veterũ ſcriptis celebres, qui Nepoti tribuuntur, ab hujus libri auctore confectos esse satis apparet, ex fine Anni-

balis vitæ, *Sed nos tempus est, hujus libri facere finem, & Romanorum explicare imperatores, quò facilius collatis utrorumq; factis, qui viri præferendi sint, possit judicari*, tanta etiam suavitas est sermonis Latini, ut appareat in eo nativum quemdam leporem esse, non adscitum, & jam ævo Theodosij desitum, quo non parum inclinata erat latiaris eloquentia: Æmilium autem Probum, cujus nomine circunfertur hic liber, Theodosio regnante vixisse, & hujusce libri exscriptorem potius esse, quàm auctorem, paret ex his versibus:

Vade liber noſter, fato meliore memento,
Cùm leget hæc dominus, te ſciat eſſe meum.
Ne timeas fulvo ſtrictos diademate crineis,
Ridentes blandum vel pietate oculos.
Communis cunctis, hominem ſe regna tenere
Sed meminit, vincit hinc magis ille homines.
Ornentur ſteriles: facilis tectura libelli,
Theodoſio, & doctis carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, paulatim detege noſtrum,
Tunc domino nomen: me ſciat eſſe Probum.
Corpore in hoc, manus eſt genitricis, aviq. meaq.
Felices, Domini quæ meruere manus.

Hic ergo ſuo auctori reddatur, quem ſibi Cornel. Nepos juſto titulo vindicat, quemve coævo ſuo & familiari P. Attico dedit, cujus etiam rogatu, vitam M. Catonis ſeparatim ſcripſit, & illi ſuperſtes, elegantiſſimam ejuſdem vitæ conſuetudinem, elegantia pari proſecutus eſt, præter Chronica, libros exemplorum, de viris inluſtribus, & de vita Catonis, librum ſe de hiſtoricis Græcis conſcripſiſſe teſtatur in Dione, (ſic enim ex mſſ. bona fide ſupplevi) atque alterum edidit de Latinis hiſtoricis, ex quo excerpta eſſe fragmenta Corneliæ

Gracchorum matris, Gifanij codice probatur. Quod ad Daretis Phrigij hiſtoriam, quam à Corn. Nepote Latinè redditam, Volaterranus, & alij tradiderunt, elegantia ſtili potius, ducti, quam certi ratione, diſpar ſtilus eſt, & diſſimilis genius, & ſi quid in me judicij, Cor. Nepos illo interprete, ut annis, ſic nitore ſermonis longè ſuperior, quod collatis utriuſque ſcriptis, facilè poteſt judicari, de hoc auctore ita mihi viſum eſt, ſalvo tuo (erudite lector) judicio.

DE CORNELIO NEPOTE.

Elogia veterum.

Catullus Epig. 1.

Cui dono lepidum, novum libellũ,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli tibi, namque tu solebas,
Meas esse aliquid putare nugas:
Iam tum cum ausus es unus Italorum,
Omne ævum tribus explicare chartis.

Plinius l. 1. passim & l. 3. c. 17.

Item Melpum opulentia præcipuum, quod ab Insubribus, & Boiis, & Senonibus deletum esse, eo die quo Camillus Veios ceperit, Nepos Cornelius tradidit.

idem l. 3. c. 18.

Cornelius Nepos Padi accola.

idem l. 9. c. 29. & l. 10. c. 23.

Nepos Cornelius, qui Divi Augusti principatu obiit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0012
DFG

Plinius Iunior Severo, ep. 28. l. 4.

Herennius Severus vir doctissimus, magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelij Nepotis, & Titi Cassij.

idem l. 5. ep. 3.

Inter quos (bonos) vel præcipuè numerandus est Publius Vergilius, Cornelius Nepos, & prius Ennius, Acciusque, &c.

Suetonij in Julio c. 55. & (Cicero) ad Cornelium Nepotem de eodem ita scripsit, &c.

idem c. 77.

Non amplius ter bibere eum solitum super cœnam, in castris apud Mutinam, Corn. Nepos tradit.

Solinus c. 2.

Cincio Romam duodecima Olympiade placet conditam, Pictori octava, Nepoti & Lutatio opiniones Eratosthenis & Apol-

Iodori comprobantibus, Olympiadis ſeptimæ anno ſecundo, Pomponio Attico, & Marco Tullio, Olympiadis ſextæ anno tertio.

Plutarchus in Marcello.

Ἀννίβαν ὑπὸ Μάρκελλον, ὡς μὲν οἱ πρεσβύτεροι Πολύβιον λέγουσιν, οὐ δὲ ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητον ἀνὴρ δοκεῖ Ἀλκιμήδους μέχρι Σκιπίωνος. ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ, Καίσαρι, τῷ Νέπωτι, τῶν ἐμπείρων τοῦ βασιλέως Ἰόβα πιστεύομεν, ἥττας πολλὰς, καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι.

Tertullianus in Apologetico c. 10.

Saturnum itaq; quantum literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neq; Caſſius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejuſcemodi antiquitatum aliud quàm hominem promulgaverunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0014
DFG

Minutius Felix Octavio.

Scit hoc Nepos, & Cassius in historia, & Thallus, ac Diodorus hoc loquuntur.

Lactantius Firmianus l. 1. c. 13.

Qui vires ejus in Italia gestas memoriæ tradiderunt, Græci, Diodorus, & Thallus: Latini, Nepos, & Cassius, & Varro.

Pomponius Mela l. 3. c. 5.

Sed præter physicos, Homerumque, qui universum orbem mari circumfusum esse dixerunt, Cornelius Nepos, ut recentior auctoritate, sic certior tradit.

Am Marcellinus l. 21. in fine.

Ut Tullius quoque docet, crudelitatis increpans Cæsarem, in quadam ad Nepotem epistola, &c.

Eusebius in Chronico.

Cornelius Nepos scriptor clarus, historicûsq; habetur.

D. Hieronymus Dextro, de scriptorib. Ecclesiasticus.

Fecerunt quidem hoc idem apud Græcos, Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, & longè omnium doctissimus Aristoxenus musicus. Apud Latinos autem, Varro, Santra, Nepos, Hyginus, & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus, &c.

Ausonius Probo. ep. 3.

Apologos Titiani, & Nepotis Chronica, &c.

idem Drepanio ep. 7.

Cui dono lepidum novum libellum?
Veronensis ait poëta quondam?
Inventoque dedit statim Nepoti.

Macrobius l. 2. c. 1.

Testis idem Cicero, qui in libro epistolarum ad Nepotem secundo, sic ait, &c.

Priscianus l. 8.

In, *aggrederer*, & in *appetitur*. Cicero ad Cor. Nepotem.

Vide fragmenta inf. fol. 146.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0017
DFG

Elenchus mſſ. & exemplarium, quibus in hoc auctore emendando uſi ſumus.

Mſ. optimæ notæ, ex bibliotheca mea.

Mſ. Bononiæ abſolutus, Anno Dom. M. CCCC. LVII. ex biblioth. Puteani V. C.

Mſ. Schedæ Giſanij, ex eadem biblio.

Vetus exemplar Venetijs impreſſum, An. Dom. M. CCCC. LXXIII. ex eadem bibliotheca.

Idem aliud Venetijs impreſſum, An. Dom. M. CCCC. XCIX. ex bibliotheca mea.

Longolij exemplar, Coloniæ editum ex biblior. Pap. Maſſoni, I. C.

Aldi exemplar, ex bibliotheca Fran. Phitoei, I. C.

Pariſienſia, Lambini, & Germanica, ex bibliotheca mea.

Pomp. Attici vita mſ. ex bibliotheca mea, Giſanij, & P. Petavij V. C.

Item Corneliæ fragmenta, ex hiſdem mſſ. exemplaribus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0018
DFG

NOMINA ILLVSTRIVM Imperatorum.

Miltiades 8.
Themistocles 10.
Aristides 19.
Pausanias 20.
Cimon 25.
Lysander 28.
Alcibiades 30.
Thrasybulus 41.
Conon 44. Dion 47.
Iphicrates 55.
Chabrias 57.
Timotheus 59.
Datames 63.
Epaminondas 72.
Pelopidas 80.
Agesilaus 84.
Eumenes 91.
Phocio 102.
Timoleon 105.
Hamilcar 112.
Hannibal 114.
Cato 125.
Atticus 127.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0019
DFG

Cornelia fragmenta. 144.
Cor. Nepotis fragm. 145.
* Ageſilaus 84.
Alcibiades 30.
Ariſtides 19.
Cato 125.
Chabrias 57.
Cimon 25.
Conon 44.
Cornelia fragm. 144.
Cor. Nepot. frag. 145.
Datames 83.
Epaminondas 72.
Eumenes 91.
Hamilcar 112.
Iphicrates 55.
Lyſander 28.
Miltiades 3.
Pauſanias 20.
Plopidas 80. Phocion 112.
Pomp. Atticus 127.
Themiſtocles 9.
Thraſybulus 41.
Timoleon 105.
Timotheus 59.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0020
DFG

ÆMILIUS PROBUS.

DE VITA EXCELlentium Imperatorum.

NOn dubito fore plerosque, Attice, qui hoc genus scripturæ, leve, & non satis dignum summorum virorum personis judicent, cùm relatum legent, quis musicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari, saltasse eum commodè, scientérque tibiis cantasse. Sed hi erunt ferè, qui expertes lit-

terarum Græcarum, nihil rectum, nisi quod ipsorum moribus conveniat, putabunt. Hi, si didicerint non eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia majorum institutis judicari, non admirabuntur, nos in Grajorum virtutibus exponendis mores eorum secutos. Neque enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio, quippe cùm cives ejus eodem vterentur instituto. at id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia dueitur adolescentulis quamplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmonia tam est nobilis vidua, quæ non ad scenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota ferè fuit Græcia victorē Olympiæ citari, in scenam verò prodire,

& populo esse spectaculo nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota, ponuntur. Contra ea pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur. quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus mater familias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Græcia. nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum, neque sedet, nisi in interiore parte ædium, quæ gynæconitis appellatur, quò nemo accedit, nisi propinqua cognatione conjunctus. Sed plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum

Quare ad propositum veniemus, & in hoc libro exponemus de vita excellentium Imperatorum.

MILTIADES.

Cap. 1. Miltiades Cimonis filius Athenienſis, cùm & antiquitate generis, & gloria majorum, & ſua modeſtia, unus omnium maximè floreret, eáque eſſet ætate, ut non jam ſolùm de eo benè ſperare, ſed etiam confidere cives poſſent ſui talem futurum, qualem cognitum judicarunt, accidit, vt Athenienſes Cherſoneſum colonos vellent mittere, cujus generis cùm magnus numerus eſſet, & multi ejus demigrationis peterent ſocietatem, ex his delecti Delphos deliberatum miſſi ſunt, qui conſulerent Apollinem, quo

potissimùm duce uterentur. nã tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consulentibus nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent. id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc oraculi responso Miltiades cum delecta manu classe Chersonesum profectus, cum accessisset Lemnum & incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Athenien. sium, idque vt Lemnij sua sponte facerent, postulasset, illi irridentes responderunt, tum id se facturos, cum ille domo navibus proficiscens vento aquilone veniisset Lemnum. hic enim ventus à septentrionibus oriens aduersum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades morandi tempus non habens cursum direxit quò tendebat, pervenit-

cap. III. que Chersonesum. Ibi brevi tempore barbarorum copiis disjectis, tota regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communiit: multitudinem, quam secum duxerat, in agris collocauit: crebrisque excursionibus locupletavit. Neque minus in ea re prudentia, quàm felicitate, adjutus est. nam cùm virtute militum deviciſſet hostium exercitns, summa æquitate res constituit, atque ipse ibidem manere decreuit. erat enim inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine. neque id magis imperio, quàm justitia, consecutus. neque eo secius Athenienſibus, aut quibuscum erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat, vt non minus eorum voluntate perpetuò imperium obtineret, qui miserant, quàm illorum, cũ

quibus erat profectus. Chersoneso tali modo constituto Lemnum revertitur, & ex pacto postulat, ut sibi vrbem tradant. illi enim dixerant cùm vento borea domo profectus eò perueniisset, sese dedituros: se autem domum Chersonesi habere. Cares, qui tum Lemnum incolebant, & si præter opinionem res cecíderat, tamen non dicto, sed secunda fortuna aduersariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insula demigrarunt. Pari felicitate ceteras insulas, quæ Cyclades nominantur, sub Athenienſium redegit potestatem. Eisdem temporibus Persarum rex Darius, ex Asia in Europam exercitu trajecto, Scythis bellum inferre decrevit. pontem fecit in Istro flumine, quà copias traduceret. eius pontis (dum ipse

abesset) custodes reliquit principes, quos secum ex Jonia & Æolide duxerat. quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia, sic enim putavit facillime se Græca lingua loquenteis, qui Asiam incolerent sub sua retenturum potestate, si amicis suis oppida tuenda tradidisset: quibus se oppresso nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hic, cùm crebri afferrent nuntii male rem gerere Darium, premíque ab Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne à fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ dimitterent. nam si cum his copiis, quas secum transportauerat, interisset Darius, non solùm Europam fore tutam, sed etiam eos, qui A-

fiam incolerent Græci genere, liberos à Persarum futuros dominatione & periculo, & facile effici posse. ponte enim rescisso regem vel hostium ferro, vel inopia, paucis diebus interiturũ. Ad hoc consilium cùm plerique accederent, Hestiæus ne res cõficeretur, obstitit, dicens non idem ipsis, qui summas imperij tenerent, expedire, & multitudini, quòd Darij regno ipsorum niteretur dominatio, quo exstincto ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos. itaque adeò se abhorrere à ceterorum consilio, vt nihil putet ipsis utilius, quàm confirmari regnũ Persarum. Hujus cùm sententiam plurimi essent secuti, Miltiades non dubitans tam multis conscijs ad regis aureis consilia sua perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas de-

migravit, cuius ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, cùm amicior omniũ libertati, quàm suæ fuerit dominationi. cap. IV. Darius autem cùm ex Europa in Asiam rediisset, hortantibus amicis, vt Græciam redigeret in suam potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eíque Datin præfecit, & Artaphernem, hísque ducenta peditum millia, & decem equitum dedit, causam interserens se hostẽ esse Atheniensibus, quòd eorum auxilio Iones Sardis expugnassent, suáq; præsidia interfeciissent. Illi præfecti regij classe ad Eubœam appulsa celeriter Eretriam, ceperunt, omneisque ejus gentis cives abreptos in Asiam ad regẽ miserũt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campũ Marathona deduxerunt. Is abest

ab oppido circiter millia passus decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo, támque magno permoti auxilium nusquam, nisi à Lacedæmoniis, petiverunt, Philippúmque cursorem eius generis, qui hemerodromi vocantur, Lacedæmonẽ miserunt, vt nuntiaret, quàm celeri opus esset auxilio. Domi autem creati decem prætores, qui exercitui præessent: in eis Miltiades, inter quos magna fuit contentio, utrùm mœnibus defenderent, an obviam irent hostibus, aciéque decernerent. unus Miltiades maximè nitebatur ut primo quoque tempore castra fierent. id si factum esset, & civibus animum accessurum, cùm viderent de eorum virtute non desperari, & hosteis eadem re fore tardiores, si animadverterent audere adversus se tam

cap. V.

exiguis copiis dimicari. hoc in tempore nulla civitas Athenien-sibus auxilio fuit præter Plataenseis. ea mille misit militum. itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. quo factum est, ut plus, quàm collegæ, Miltiades valuerit. ejus enim auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locóque idoneo castra fecerunt. deinde postero die, sub montis radicibus acie è regione instructa, nova arte, vi summa prælium commiserunt. namque arbores multis locis erant raræ, hoc consilio ut & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis,

tis, etsi non locum æquum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat, eóque magis, quòd prius quàm Lacedæmonij subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, prœliúmque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium profligarent: adeóque perterruerint, ut Persæ non castra, sed naveis petierint. Qua pugna nihil adhuc est nobilius, nulla enim unquam tam exigua manus tantas opes prostravit. Cujus victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. Ut enim populi nostri cap. VI.

honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eámque causam glorioſi, nunc autem effuſi atque obſoleti: ſic olim apud Athenienſeis fuiſſe reperimus. namque huic Miltiadi, qui Athenas, totámque Græciam liberavit, talis honos tributus eſt in porticu, quæ Pœcile vocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima eius imago poneretur, iſque hortaretur milites, prœliúmque committeret. Idem ille populus, poſtquam majus imperium eſt nactus, & largitione magiſtratuum corruptus eſt, trecentas ſtatuas Demetrio Phalereo decrevit. Poſt hoc prœlium claſſem ſeptuaginta navium Athenienſes eidem Miltiadi dederunt, ut inſulas, quæ barbaros adjuverant, bello perſequere-

Cap. VII.

tur. quo imperio pleraſque ad officium redire coëgit, nonnullas vi expugnavit. Ex his Parũ inſulam opibus elatam cùm oratione reconciliare non poſſet, copias è navibus eduxit, urbem operibus clauſit, omníque commeatu privavit. deinde vineis ac teſtudinibus conſtitutis propius muros acceſſit. Cùm jam in eo eſſet, ut oppido potiretur procul in continenti lucus, qui ex inſula conſpiciebatur, neſcio quo caſu nocturno tempore incenſus eſt: cujus flamma ut ab oppidanis & oppugnatoribus eſt viſa, utríſque venit in opinionem ſignum à claſſiariis regiis datum, quò factum eſt, ut Parij à deditione deterrerentur, & Miltiades timẽs ne claſſis regia adventaret, incenſis operibus, quæ ſtatuerat, cum totidem navibus, atque erat profectus,

Athenas magna cum offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo est proditionis, quòd, cùm Parum expugnare posset, à rege corruptus infectis rebus à pugna discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido acceperat. Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba fecit frater eius Sagoras. Causa cognita capitis absolutus, pecunia multatus est, eáque lis quinquaginta talentis æstimata est, quantus in classem sumtus factus erat. Hanc pecuniam, quòd soluere in præsentia non poterat, in vincula publica conjectus est, ibíque diem obiit supremũ. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis, namque Athenienses propter Pisistrati tyrannidem, quæ paucis

Cap. VIII.

annis antè fuerat, omniũ ſuorũ civium potentiã extimeſcebãt. Miltiades multùm in imperiis, magiſtratibúſq; verſatus nõ videbatur poſſe eſſe privatus, præſertim cùm cõſuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. nam Cherſoneſo omneis illos, quos habitarat annos, perpetuam obtinuerat dominationem, tyrannúſque fuerat appellatus, ſed juſtus. non erat enim vi conſecutus, ſed ſuorũ volũtate, eamq; poteſtatẽ bonitate retinebat. Omnes autẽ & dicũtur & habentur tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea civitate, quæ libertate uſa eſt. Sed in Miltiade erat cùm ſumma humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis eſſet, cui non ad eum aditus pateret: magna auctoritas apud omneis civitates, nobile nomen, laus rei militaris

maxima. Hæc populus respiciens, maluit innoxium plecti, quàm se diutius esse in timore.

THEMISTOCLES.

cap. 1. THemistocles Neocli filius Atheniẽsis. Huius vitia ineuntis adolescentiæ magnis sunt emendata virtutibus: adeò vt anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater eius Neocles, generosus fuit. is uxorem Acarnanam civem dùxit, ex qua natus est Themistocles. qui cùm minus esset probatus parentibus, quòd & liberius justo vivebat, & rem familiarem negligebat, à patre exheredatus est. quæ contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam cùm judicasset sine summâ industria non posse eam exstingui, totum

se dedidit reipublicæ, diligentius amicis, famæque serviens. Multùm in judiciis privatis versabatur, sæpe in contionem populi prodibat, nulla res major sine eo gerebatur, celeritérque, quæ opus erant, reperiebat. Neque minus in rebus gerendis promptus quàm excogitandis, erat, quòd & de instantibus (ut ait Thucydides) verissimè judicabat, & de futuris callidissimè cõjiciebat. Quo factum est, ut brevi tempore illustraretur. Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ bello Corcyræo: ad quod gerendum prætor à populo factus, non solùm præsenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. nam cùm pecunia publica, quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quot annis in-

teriret, ille persuasit populo, ut ea pecunia classis centum navium ædificaretur. Quæ celeriter effecta, primùm Corcyræos fregit, deinde maritimos prædones consectando mare tutum reddidit. In quo cùm divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Atheniensis. Id quantæ saluti fuerit universæ Græciæ, bello cognitum est Persico. Nam cùm Xerxes & mari & terra bellum universæ inferret Europæ, cùm tantis eam copiis invasit, quantas neque anteà neque postea habuit quisquam, huius enim classis, mille & ducentarum navium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur: terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fue-

runt. Cuius de adventu cùm fama in Græciam esset perlata, & maximè Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, quídnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. Id responsum, quò valeret cùm intelligeret nemo, Themistocles persuasit consilium esse Apollinis, ut in naveis se suáque conferrent. cum enim significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naveis triremeis: suáque omnia, quæ moveri poterant; partim Salaminem, partim Trœzenem asportant: arcem sacerdotibus paucísque majoribus natu, ac sacra procuranda tradunt, reliquum op-

cap. xi. pidum relinquunt. Hujus consilium plerisque civitatibus displicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaque missi sunt delecti cum Leonida Lacedæmoniorum rege, qui Thermophylas occuparent, longiúsque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt, eóque loco omnes interierunt. At classis communis Græciæ, trecentarum navium, in qua ducentæ erant Athenienſium, primùm apud Arthemisium inter Euboeam, continentémque terram cum classiariis regis conflixit. angustias enim Themistocles quærebat, ne multitudine circuiretur. Hinc etsi pari prœlio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere, quòd erat periculum, ne, si pars navium adversariorum

Eubœam superasset, ancipiti premerentur periculo. Quo factum est, ut ab Arthemisio discederent, & exadversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accessit Astu, idque nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit. cujus flamma perterriti classiarii cùm manere non auderent, & plurimi hortarentur, ut domos suas discederent, mœnibúsque se defenderent, Themistocles unus restitit, & universos pares esse posse ajebat, dispersos testabatur perituros. idque Eurybiadi regi Lacedæmoniorum, qui tum summæ imperii præerat, fere affirmabat. quem cùm minus, quàm vel- cap. IV.

let, moveret, noctu de seruis suis quem habuit fidelissimum, ad regem misit, vt ei nuntiaret suis verbis, aduersarios ejus in fuga esse: qui si discessissent, majore cum labore, & longinquiore tẽpore, bellum confecturum, cùm singulos consectari cogeretur: quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eo valebat, ut ingratis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re audita barbarus nihil doli subesse credens, postridie alieniſſimo sibi loco, contrà opportuniſſimo hostibus, adeo angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis etiam consilio Themistoclis, quam armis Græciæ. Hic etsi male rem gesserat, tamẽ tãtas habebat reliquias copiarum, ut etiã cum his opprimere posset

Cap. V.

hosteis,

hostеis. Interim ab eodē gradu depulsus est. Nam Themistocles verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur. idque ei persuasit. Itaque quà sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est, seque à Themistocle non superatum, sed conservatum judicauit. Sic unius viri prudentiâ Græcia liberata est, Europæque succubuit Asia. Hæc altera victoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropæo. nam pari modo apud Salamina parvo numero naviū maxima post hominum memoriam classis est devicta. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Cùm enim Phalerico portu neque Cap. VI.

magno, neque bono Athenienſes uterentur, hujus conſilio triplex Piræei portus conſtitutus eſt: iſque mœnibus circumdatus, ut ipſam urbem dignitate æquipararet, utilitate ſuperaret. Idem muros Athenienſiũ reſtituit præcipuo periculo ſuo. namque Lacedæmonij cauſam idoneam nacti propter barbarorum excurſiones, qua re negarent oportere extra Peloponneſum ullam urbem haberi, ne eſſent locâ munita, quæ hoſtes poſſiderent. Athenienſeis ædificantes prohibere ſunt conati. Hoc longe aliò ſpectabat, atque videri volebant. Athenienſes enim duabus victoriis, Marathonia & Salaminia, tantam gloriam apud omneis genteis erant conſecuti, ut intelligerent Lacedæmonij de principatu ſibi cum his certamẽ fore: quare eos

quàm infirmissimos esse volebant. Postquàm autem audierũt muros strui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent. His præsentibus desierunt, ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, & solus primò profectꝰ est. reliqui legati ut tum exirent, cùm satis altitudo muri exstructa videretur, præcepit: interim omnes servi atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, sive sacer esset, sive privatus, sive publicus: & undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est, ut Athenienſium muri ex sacellis, sepulcrísque constarẽt. Themistocles autem, ut Lacedæmonem venit, adire ad magistratus noluit, & dedit operam, ut quàm longissimè tempus duce-

retur, causam interponens se collegas exspectare. Cùm Lacedæmonij quererentur opus nihilominus fieri, eúmque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti: à quibus cùm audisset non multum superesse munitionis, ad Ephoros Lacedæmoniorum accessit, penes quos summum imperium erat: atque apud eos contendit falsa his esse delata, quare æquũ esse, illos, bonos viros, nobileisque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent. interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos, trésque legati, functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cùm his collegas suos Themistocles jussit proficisci: eísque prædixit, ut ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quàm ipse essent remissus. Hos post quã Athe-

nas perveniſſe est ratus, ad magiſtratum, ſenatúmque Lacedæmoniorum adiit, & apud eos liberrimè profeſſus est, Athenienſeis ſuo conſilio, quod communi jure gentium facere poſſent, Deoſque publicos, ſuóſque patrios ac penates, quo facilius ab hoſte poſſent defendere, muris ſæpſiſſe: neque eos, quod inutile eſſet Græciæ feciſſe. nam illorum urbem ut propugnaculum oppoſitum eſſe barbaris, apud quam jam bis claſſes regias feciſſe naufragium. Lacedæmonios autem male & injuſte facere, qui id potius intuerentur, quod ipſorũ dominationi, quã quod univerſæ Græciæ utile eſſet. Quare ſi ſuos legatos recipere vellent, quos Athenas miſerant, ſe remitterent: aliter illos numquam in patriam eſſent recepturi. Tamen non effũgit ci-

vium ſuorum invidiam. namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, teſtarũ ſuffragiis è civitate ejectus, Argos habitatum conceſſit. Hîc cùm propter multas ejus virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedæmonij legatos Athenas miſerunt, qui eum abſentẽ accuſarent, quòd ſocietatem cùm rege Perſar. ad Greciã opprimendam feciſſet. hoc crimine abſens proditionis eſt damnatus. Id ut audivit, quòd non ſatis tutum ſe Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi cùm ejus principes animadvertiſſet timere, ne propter ſe bellum his Lacedæmonij & Athenienſes indicerent, ad Admetum Moloſſorũ regem, cum quo ei hoſpitium fuerat, confũgit. Huc cùm veniſſet, & in præſentia rex abeſſet: quo majore religio-

ne se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, & cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur cæremonia, conjecit, inde non prius egressus est, quàm rex eum data dextra in fidem reciperet: quam præstitit. nam cùm ab Athenienſibus & Lacedæmoniis expoſceretur publicè, ſupplicem non prodidit, monuítque, ut conſuleret ſibi. difficile enim eſſe, in tam propinquo loco tutò eum verſari. Itaque Phydnam eum deduci juſſit, &, quod ſatis eſſet, præſidij dedit. Hic in navem omnibus ignotus nautis aſcendit: quæ cùm tempeſtate maxima Naxum ferretur, ubi tum Athenienſium erat exercitus, ſenſit Themiſtocles, ſi eò perveniſſet, ſibi eſſe pereundum. hac neceſſitate coactus domino navis, quis ſit, aperit,

multa pollicens, si se conservasset. At ille clarissimi viri captus misericordia diem, noctémque procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris, neque quenquam ex ea exire passus est. Inde Ephesum pervenit, ibíque Themistoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam postea retulit. Scio pleróque ita scripsisse, Themistoclem Xerxe regnante in Asiam transisse. sed ego potissimùm Thucydidi credo, quòd ætate proximus erat his, qui illorum temporum historiam reliquerunt, & ejusdem ciuitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum veniisse, atque his verbis epistolam misisse. Themistocles veni ad te, qui plurima mala omnium Grajorum in domum tuam intuli, cùm mihi necesse fuit aduersus patrem tuum bellare, pa-

L. C. 9

triámque meam defendere. Idem multo plura bona feci, postquàm in tuto ipso, & ille in periculo esse cœpit. Nam cùm in Asiã reverti vellet, prœlio apud Salaminam facto, litteris eum certiorem feci, id agi, vt pons, quem in Hellespontο fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur. quo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc autem confûgi ad te exagitatus à cuncta Græcia, tuam petens amicitiam; quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quàm fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, de quibus tecum loqui volo, annum mihi temporis des, eóque transacto me ad te venire patiaris. Hujus rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem vi-

rum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus litteris, sermoníque Persarum dedit; quibus adeò eruditus est, ut multo commodius dicatur apud regem verba feciſſe, quàm hi poterant, qui in Perſide erant nati. Hic cùm multa regi esset pollicitus, gratiſſimúmque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit, domiciliúmque Magnesiæ sibi constituit. namque hanc urbem ei rex donaverat, his usus verbis, quæ ei panem præberet: ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant: Lampsacum, unde vinum sumeret: Myuntem, ex qua obsonium haberet. Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo, sepul-

crum prope oppidum, in quo est sepultus: statuæ in foro Magnesiæ. De cujus morte multis modis apud plerósque scriptum est: sed nos eundem potissimùm Thucydidem auctorem probamus: qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum: neque negat fuisse famam, venenum sua sponte sumsisse, cùm se quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. Idem ossa ejus clàm in Attica ab amicis esse sepulta, quoniam legibus non concederetur, quòd proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

ARISTIDES.

ARistides Lysimachi filius Athenienſis, æqualis ferè fuit Themiſtocli. itaque cum eo de principatu contendit. nãque obtrectarunt inter ſe. In his autem cognitum eſt, quanto antiſtaret eloquentia innocentiæ. quamquam enim adeò excellebat Ariſtides abſtinentia, ut unus poſt hominum memoriam, quod quidem nos audierimus, cognomine iuſtus ſit appellatus, tamen à Themiſtocle collabefactus teſtula illa exilio decem annorum multatus eſt. Qui quidem cùm intelligeret reprimi concitatam multitudinem non poſſe, cedénſque animadvertiſſet quendam ſcribentẽ, ut patria pelleretur, quæſiſſe ab eo dicitur, quare id faceret,

aut

aut quid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur. Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, quòd tam cupidè elaborasset, ut præter ceteros justus appellaretur. Hic decem annorum legitimam pœnam non pertulit. nam postquàm Xerxes in Græciam descendit, sexto ferè anno quam erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. Interfuit autem pugnæ navali apud Salaminam, quæ facta est prius, quàm pœna liberaretur. Idem prætor fuit Athenienſium apud Platæas in prœlio, quo Mardonius fusus, barbarorúmque exercitus est interfectus. Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factũ, quàm hujus imperij memoria. Justitiæ verò, & æquitatis, & innocentiæ multa. In primis, quòd

ejus æquitate factum est, cùm in communi classe esset Græciæ simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperij maritimi ab Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses. nanque ante id tempus & mari & terra duces erant Lacedæmonij, tum autem & intemperantia Pausaniæ, & justitia factum est Aristidis, ut omnes ferè civitates Græciæ ad Athenienssium societatem se applicarent, & adversus barbaros hos duces deligerent sibi, quos quò facilius repellerent, si fortè bellum renovare conarentur. Ad classeis ædificandas, exercitúsque comparandos quantum pecuniæ quæque civitas daret, Aristides delectus est, qui constitueret, ejúsque arbitrio quadringenta & sexaginta talenta quotannis Delum sunt collata.

id enim commune ærarium esse voluerunt. Quæ omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic qua fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, quàm quòd, cùm tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate decessit, ut qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum est, ut filiæ ejus publicè alerentur, & de communi ærario dotibus datis collocarentur. Decessit autem ferè post annum quartum, quàm Themistocles Athenis erat expulsus.

PAVSANIAS.

PAusanias Lacedæmonius, magnus homo, sed varius in omni genere vitæ fuit. nam ut virtutibus eluxit: sic vitiis est obrutus. Hujus illustriss.

mum est prœlium apud Platæas. nanque illo duce Mardonius satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium Persarum & manu fortis, & consilij plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, & viginti millibus equitum, haud ita magna manu, Græcia fugatus est: eóque ipse dux cecidit prœlio. L.C: "Qua victoria elatus plurima miscere cœpit, & majora concupiscere. Sed primùm in eo est reprehensus, quod cùm ex præda tripodem aureum Delphis posuisset, epigrammate scripto, in quo erat hæc sententia, suo ductu barbaros apud Platæeas esse deletos, ejúsque victoriæ ergô, Apollini donũ dedisse: hos versus Lacedæmonij exsculpserũt, neque aliud scripserunt, quàm nomina earum civitatum, qua-

rum auxilio Persæ erant victi. Post id prœlium, eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum, atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorũ præsidia depelleret. Pari felicitate in ea re usus elatius se gerere cœpit, majoréque appetere res. Nam cùm Byzantio expugnato cepisset complureis Persarũ nobileis, atq; in his nõnullos regis propinquos, hos clã Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse, & cum his Gongylum Eretriensem, qui litteras regi redderet, in quibus hæc fuisse scripta Thucydides memoriæ prodidit. Pausanias dux Spartæ, quos Byzantij ceperat, postquàm propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit, séque tecum affinitate conjungi cupit. quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum.

Id si feceris, & Spartam, & ceteram Græciam sub tuam potestatem se adjuvante redacturum pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur. Rex tot hominum salute tam sibi necessariorum magnopere gavisus, confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit. In qua eum collaudat, petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quæ policetur. Si perfecerit, nullius rei à se repulsam laturum. Hujus Pausanias voluntate cognita alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedæmoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur: multatur tamen pecunia. quam ob causam ad classem remissus non est. At ille post non multo sua spon-

te ad exercitum rediit, & ibi non callida, sed dementi ratione, cognita patefecit. Non enim mores patrios solùm, sed etiam cultum, vestitúmque mutavit. Apparatu regio utebatur, veste Medica: satellites Medi & Ægyptij sequebantur: epulabatur more Persarũ luxuriosius, quàm, qui aderant, perpeti possent: aditum petentibus conveniendi non dabat: superbè respondebat, crudeliter imperabat: Spartam redire nolebat: Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulerat. ibi consilia cùm patriæ, tum sibi inimica capiebat. Id postquàm Lacedæmonij resciverunt, legatos ad eum cum scytala miserunt: in qua more illorum erat scriptum, nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos. Hoc nuntio commotus,

sperans se etiam tum pecunia & potentia instans periculũ posse depellere, domum rediit. huc ut venit, ab Ephoris in vincula publica conjectus est. licet enim legibus eorum cuivis Ephoro hoc facere regi. hinc tamen se expedivit: neque eo magis carebat suspicione. nam opinio manebat, eum cum rege habere societatem. Est genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit, servorúmque munere fungitur. hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur. sed quòd harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali, támque claro viro suspicionibus oportere judicari: & exspectandum, dum se ipsa res aperiret. Interim Argilius qui-

L. C.

caput q

dam, adoleſcentulus, quem puerum Pauſanias amore Venereo dilexerat, cùm epiſtolam ab eo ad Artabazũ accepiſſet, eíq; in ſuſpicionem veniſſet, aliquid in ea de ſe eſſe ſcriptum, quòd nemo eorum rediiſſet, qui ſuper tali cauſa eodem miſſi erãt: vincula epiſtolæ laxavit, ſignóque detracto cognovit, ſi pertuliſſet, ſibi eſſe pereundũ. Erant in eadem epiſtola, quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem, Pauſaniámque convenerant. Has ille litteras Ephoris tradidit. Non eſt prætereunda gravitas Lacedæmoniorum hoc loco. nam ne hujus quidem indicio impulſi ſunt, ut Pauſaniam comprehenderent: neque prius vim adhibendam putaverunt, quàm ſe ipſe indicaſſet. Itaque huic indici, quid fieri vellent, præcepe-runt. Fanum Neptuni eſt Tæna-

ri, quod violari nefas putant Græci. Eò ille index confûgit: in ara consedit. hanc juxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. huc ex Ephoris quidam descenderunt. Pausanias, ut audivit Argilium confugisse in aram, perturbatus eò venit: quem cùm supplicem dei videret in ara sedentẽ, quærit causæ quid sit tam repentini consilij. huic ille, quid ex litteris cõperisset, aperit, modo magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne enuntiaret, nec se meritum de illo optimè, proderet. quòd si eam veniam sibi dedisset, tantísque implicitum rebus sublevasset, magno ei præmio futurum. His rebus Ephori cognitis, satius putaverunt in urbe eum comprehendi. quò cùm essent profecti, & Pausanias

placato Argilio (ut putabat) Lacedæmonem reverteretur, in itinere, cùm jam in eo esset, ut jam comprehenderetur ex vultu cujusdam Ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaq; paucis antè gradibus, quàm qui sequebantur, in ædē Minervæ, quæ Chalcioecus vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas ejus ædis obstruxerunt, tectúmq; sunt demoliti, quo celerius sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, cámque jam magno natu, postquàm de scelere filij comperit, in primis ad filiū claudendū, lapidem ad introitū ædis attulisse. Sic Pausanias magnā belli gloriam turpi morte maculavit. Hic cùm semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. Cujus mortui cor-

pus cùm eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quò hi, qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus: & procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. Inde posterius Delphici responso erutus, atque eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.

CIMON.

CIMON Miltiadis filius Atheniensis, duro admodum initio usus est adolescentiæ. nam cùm pater ejus litem æstimatã populo solvere nõ potuisset, ob eámque causam in vinculis publicis decessisset, Cimon eadem custodia tenebatur, neque legibus Athenienſibus emitti poterat, nisi pecuniam, qua pater multatus erat, solvisset. Habebat autem in matrimonio sororem

rorem germanam ſuam, nomine Elpinicen, non magis amore, quàm more, ductus, nam Athenienſibus licet eodem patre natas uxores ducere. Hujus conjugij cupidus Callias quidam, non tam generoſus, quàm pecunioſus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cũ Cimone, ut eam ſibi uxorem daret. id ſi impetraſſet, ſe pro illo pecuniam ſoluturũ. Is cùm talem conditionem aſpernaretur, Elpinice negavit ſe paſſuram Miltiadis progeniem in vinclis publicis interire: quoniam prohibere poſſet, ſéque Calliæ nupturam, ſi ea, quæ polliceretur, præſtitiſſet. Tali modo cuſtodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum pervênit. Habebat enim ſatis eloquentiæ, ſummam liberalitatem, magnam prudentiam cùm juris civilis, tum rei

militaris quòd cũ patre à pũero in exercitu fuerat versatus. Itaque hic & populum urbanũ in sua tenuit potestate, & apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primùm imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit: oppidum Amphipolim cõstituit, cóque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem iterum apud Mycalen Cyprorum & Phœnicum ducentarum navium classem devictam cepit. eodémque die pari fortuna in terra usus est. nanque hostium navibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorũque uno concursu maximã vim prostravit. Qua victoria magna præda potitus cùm domum reverteretur, quòd jam nonnullæ insulæ propter acerbitatem imperij defecerant, bene animatas

confirmavit, alienatas ad officiũ redire coëgit. Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quòd contumacius se gesserat, vacuefecit. sessores veteres urbe, insuláque ejecit: agros civibus divisit: Thasios opulentia fretos, suo adventu fregit. His ex manubiis Athenarum arx, quæ ad meridiem vergit, est ornata. Quibus rebus cùm unus in civitate maximè floreret incidit in eandem invidiam, quam pater suus, ceteríque Athenienſium principes. nam testarum suffragiis, quod illi ostraciſmũ vocant, decem annorum exilio mulctatus est. Cujus facti celerius Athenienſeis, quàm ipsum, pœnituit. nam cùm ille forti animo invidiæ ingratorum civium cessisset, bellúmque Lacedæmonij Athenienſibus indixissent, confestim notæ ejus vir-

tutis desiderium consecutum est. Itaque post annum quintum, quo expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille quòd hospitio Lacedæmoniorũ utebatur, satius existimans contendere Lacedæmonem, sua sponte est profectus, pacémque inter duas potentissimas civitates conciliavit. post neque ita multo Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, cùm ejus majorem partem insulæ devicisset, in morbum implicitus, in oppido Citio est mortuus. Hunc Athenienses non solùm in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate, cùm compluribus locis prædia, hortósque haberet, ut numquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus

quisque vellet, frueretur. Semper cum pedisequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Sæpè, cùm aliquem offensum fortuna videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic cœna ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omneis devocaret: quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit, multos locupletavit, complureis pauperes mortuos, qui, unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo minimè est mirandum, si & vita ejus fuit secura, & mors acerba.

LYSANDER.

LYsander Lacedæmonius magnam reliquit sui famam magis felicitate, quàm virtute, partam. Athenienseis enim in Peloponnesios sexto & vicesimo anno bellum gerenteis confeciſſe appâret. Id qua ratione consecutus sit, latet. non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorũ: qui quòd dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispasati in agris, relictis navibus, in hostium venerunt potestatem. quo facto Athenienses se Lacedæmoniis dediderunt. Hac victoria Lysander elatus, cùm antea semper factiosus, audáxque fuisset, sic sibi indulsit, ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonij pervenerint.

Nam cùm hanc causam Lacedæmonij dicta ssent sibi esse belli, ut Athenienſium impotentem dominationem refringerent, post quàm apud Ægos flumen Lyſander claſſis hoſtium eſt potitus, nihil aliud molitus eſt, quàm ut omneis civitates in ſua teneret poteſtate, cùm id ſe Lacedæmoniorum cauſa facere ſimularet; nanque undique qui Athenienſiũ rebus ſtuduiſſent, ejectis, decem delegerat in una quaque civitate, quibus ſummum imperium, poteſtatémque omnium rerũ cõmitteret. horũ in numero nemo admittebatur, niſi qui aut ejus hoſpitio contineretur, aut ſe illius fore proprium fide confirmarat. Ita decemvirali poteſtate in omnibus urbibus conſtituta, ipſius nutu omnia gerebãtur: cujus de crudelitate, ac perfidia ſatis eſt unã

rem exempli gratia proferre, ne de eodem plura enumerãdo, defatigemus lectores. Victor ex Asia cùm reverteretur, Thasúmque divertisset, quòd ea civitas præcipua fide fuerat erga Athenienseis, proinde ac si iidẽ firmissimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici, eam pervertere concupivit. vidit autem, nisi in eo occultasset voluntatem, futurum ut Thassij dilaberentur, consuleréntque rebus suis. Itaque hij decemviralem suam potestatem ab illo constitutam sustulerunt. quo dolore incensus iniit consilia, reges Lacedæmoniorum tollere. sed sentiebat id se sine ope deorum facere non posse, quòd Lacedæmonij omnia ad oracula referre consueverãt. Primùm Delphos corrumpere est conatus, Cùm id non potuisset, De-

donam adortus est. Hinc quoq; repulsus dixit, se vota suscepis-se, quæ Jovi Ammoni solveret, existimans se Afros facilius cor-rupturum. Hac spe cùm profe-ctus esset in Africam, multùm eum antistites Jovis fefellerunt. nam non solùm corrumpi non potuerunt, sed etiã legatos La-cedæmonem miserunt, qui Ly-sandrum accusarent, quòd sa-cerdotes fani corrumpere cona-tus esset. Accusatus hoc crimi-ne, judicúmque absolutus sen-tentijs, Orchomenis missus sub-sidio, occisus est à Thebanis a-pud Haliartum. Quàm verè de eo foret judicatum, oratio in-dicio fuit, quæ post mortem in domo ejus reperta est, in qua suadet Lacedæmoniis, ut regia potestate dissoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum geren-dum, sed scripta, ut deorũ vide-

retur congruere sententiæ, quod
ille se habiturũ, pecunia fidens,
non dubitabat. hanc ei scripsis-
se Cleon Alicarnasdicitur. At-
que hoc loco non est præter-
eundum factum Pharnabazi sa-
trapis regij. nam cùm Lysander
præfectus classis in bello multa
crudeliter, avaréque fecisset, de-
que his rebus suspicaretur ad
civeis suos esse perlatum, petiit
à Pharnabazo, ut ad Ephoros
sibi testimonium daret, quanta
sanctitate bellum gessisset, so-
ciósque tractasset, de eáque re
accuratè scriberet. magnam
enim ejus auctoritatem in ea re
futuram. Huic ille liberaliter
pollicetur. librum gravem mul-
tis verbis conscripsit, in quibus
summis eum effert laudibus.
quem cùm legisset, probasséta-
que, dum signatur, alterum pa-
ri magnitudine, tanta similitu-

dine ut discerni non posset, signaturum subjecit: in quo accuratissimè ejus avaritiã, perfidiãq; accusarat. Hinc Lysander domũ cùm rediisset, postquàm de suis rebus gestis apud maximũ magistratum, quæ voluerat, dixerat, testimonij loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, cùm Ephori cognoscerent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudẽs ipse suus fuit accusator.

ALCIBIADES.

ALcibiades Cliniæ filius, Athenienſis. In hoc natura, quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omneis, qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitijs, vel in virtutibus, natus in amplissima civitate, summo genere, omnium Cap. 1.

ætatis suæ multo formosissim⁹, ad omneis res aptus, consiliíque plenus. Namque imperator fuit summus & mari & terra, disertus, ut in primis dicẽdo valeret: quod tanta erat commendatio oris, atq; orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere. deinde cùm tẽpus poscceret, laborioſus, patiens, liberalis, splẽdidus non minus in vita, quàm victu: affabilis, blandus, temporibus callidissimè serviens. Idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxurioſus, dissolutus, libidinoſus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem, támque diversam naturã. Educatus est in domo Periclis, (privignus enim ejus fuisse dicitur) eruditus à Socrate. socerum habuit Hipponicum, omnium

omnium Græcæ linguæ eloquẽtia diſertiſſimum, ut, ſi ipſe fingere vellet, neq; plura bona reminiſci, neque majora poſſet conſequi, quàm vel fortuna, vel natura tribuerat. Ineunte adoleſcentiâ amatus eſt à multis more Græcorum: in eis à Socrate, de quo mentionem facit Plato in ſympoſio. namque eum induxit commemorantẽ ſe pernoctaſſe cum Socrate, neque aliter ab eo ſurrexiſſe, ac filius à parente debuerit. Poſteà, quàm robuſtior eſt factus, non minus multos amavit, in quorũ amore, quoad licitum eſt, odioſa multa delicatè, jocoſéque fecit: quæ referremus, niſi majora, potioráque haberemus. Bello Peloponneſſo hujus conſilio atque auctoritate Atheniẽſes bellum Syracuſanis indixerunt. ad quod gerendum ipſe dux dele- C. 3.

ctus est. duo præterea collegæ dati, Nicias & Lamachus. Id cùm appararetur, prius quàm classis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam erat, Androclydes vocitatus est. hoc cùm apparêret nõ sine magna multorum consensione esse factum, quòd non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est injectus, ne qua repentina vis in civitate existeret, quæ populi libertatem opprimeret. Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur, quòd & potentior & major, quàm privatus, existimabatur. multos enim liberalitate devinxerat, plureis etiam opera forensi suos reddiderat. quare fiebat, ut omnium oculos, quotiescunque

in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur. Itaque non solùm spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, quòd & obesse plurimùm & prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamia, quòd in domo sua facere mysteria dicebatur: quod nefas erat more Athenienſium: ídque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur. Hoc crimine in contentione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neque ignorans civiũ suorũ consuetudinem, postulabat, ut, si quid de se agi vellent, potius de præsente quæstio haberetur, quàm absens invidiæ crimine accusaretur. Inimici verò ejus quiescendum in præsenti, Cap. 4

quia noceri non posse intelligebant, & illud tempus exspectandum decreverunt, quo si existet, ut absentem aggrederētur. Itáque fecerunt. nam postquàm in Siciliam eum perveniſſe crediderunt, absentem, quòd sacra violasset, reum fecerūt. Qua de re cùm ei nuntius à magistratu in Siciliam missus esset, ut domū ad causam dicendam rediret, essetque in magna spe provinciæ benè administrandæ, non parêre noluit, & in triremem, quæ ad eum deportandum erat missa, ascendit, ac Thurios in Italiam provectus, multa secum reputās de immoderata civium suorum licentia, crudelitatéq; erga nobileis, utilissimum ratus impendentem evitare tempestatē, clam se à custodibus subduxit, & inde primùm Elidem, deinde Thebas venit. Postquam autem se

capitis damnatum bonis publicatis audivit, & id quod usu venerat, Eumolpidas & Cerycas à populo coactos ut se devoverent, ejúsque devotionis, quo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea inciſum, esse positum in publico, Lacedæmonem demigravit. Ibi ut ipse prædicare consueverat, non adversus patriam, sed inimicos suos bellum gessit, quòd iidem hostes essent civitati. nam cùm intelligerent se plurimùm prodesse reipublicæ, ex ea ejeciſſe, plúsque iræ suæ, quàm utilitati communi paruisse. Itaque hujus consilio Lacedæmonij cum Perse rege amicitiam fecerunt: dein Deceliam in Attica munierunt, præsidióque perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt. Ejusdem opera Joniam à societate aver-

terunt Athenienſium. quo facto, multo ſuperiores bello eſſe cœperunt. Neque verò his rebus tam amici Alcibiadi ſunt facti, quàm timore ab eo alienati. Nam cùm acerrimi viri præſtantẽ prudentiam in omnibus rebus cognoſcerent, pertimuerunt ne caritate patriæ ductus aliquando ab ipſis deſciſceret, & cum ſuis in gratiam rediret. Itaq; tempus ejus interficiendi quærere inſtituerunt. Id Alcibiadi diutius celari non potuit. erat enim ea ſagacitate, ut decipi non poſſet, præſertim, cùm animum attendiſſet ad cavendum. Itaque ad Tiſſaphernem præfectum regis Darij ſe contulit: cujus cùm in intimam amicitiam perveniſſet, & Athenienſium, male geſtis in Sicilia rebus, opes ſeneſcere, contrà Lacedæmoniorum creſcere vi- Cap. 5.

deret: initiò cum Pisandro prætore, qui apud Samũ exercitum habebat, per internuntios colloquitur, & de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem, quo Alcibiades, sensu, populi potentiæ non amicus. & optimatum fautor. Ab hoc destitutus, primùm per Thrasybulum Lycei filium, ab exercitu recipitur, prætórque fit apud Samum: pòst suffragante Theramene plebescito restituitur, parique absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo & Theramene. Horum in imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedæmonij, qui paulo antè victores viguerant, perterriti pacem peterent: victi enim erant quinque prœlijs terrestribus, tribus navalibus: in quibus ducentas naveis triremes amiserant, quæ captæ

in hostium venerãt potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Joniam, Hellespontum, multas præterea urbeis Græcas, quæ in ora sitæ sunt Asiæ: quarum expugnarant quam plures in his Byzantium. neque minus multas consilio ad amicitiam adjunxerunt, quòd in captos clementia fuerant. Ibi præda onusti locupletato exercitu maximis rebus gestis Athenas venerunt. His cùm ob- cap. 6. viam universa civitas in Pyræum descendisset, tanta fuit omnium expectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus confluueret, perinde ac si solus adveniisset. sic enim populo erat persuasum, & adversas superiores, & præsenteis secundas res accidisse ejus opera. Itaque & Siciliæ amissum, & Lacedæmoniorum victorias

culpæ ſuæ tribuebant, quòd talem virum ex civitate expuliſſent. Neque id ſine cauſa arbitrari videbantur. nam poſtquàm exercitui præeſſe cœperat, neque terra, neque mari hoſtes pares eſſe potuerant. Hic ut navi egreſſus eſt, quamquam Theramenes & Thraſybulus eíſdem rebus præfuerant, ſimúlque venerant in Pyræeum, tamen illum unum omnes proſequebantur, &, id quod numquam antea uſu venerat, niſi Olympiæ victoribus, coronis aureis, æneíſque vulgò donabatur. Ille lacrymans talem benevolentiam civium ſuorum accipiebat, reminiſcens priſtini temporis acerbitatem. Poſtquàm Aſtu vênit, concione advocata ſic verba fecit, ut nemo tàm ferus fuerit, quin ejus caſum lacrymarit, inimicúmque

his se ostenderit, quorum opera patria pulsus fuerat: perinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum sacrilegij damnasset. Restituta ergo huic sunt publicè bona: iidémq; illi Eumolpidæ ac Ceryces rursus resacrare sunt coacti, qui eum devoverant: pilæque illæ, in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hæc Alcibiadi lætitia non nimis fuit diuturna: nam cùm ei essent omnes honores decreti, totáque respublica domi, bellíque tradita ut unius arbitrio gereretur, & ipse postulasset, ut duo sibi collegæ darentur Thrasybulus & Adimantus, neque id negatum esset: classe in Asiam profectus, quòd apud Cymen minus ex sententia rem gesserat in invidiã recidit. nihil enim eum non efficere posse ducebant. ex

Cap. 7

quo fiebat, ut omnia minus prospere gesta culpæ tribuerent, cùm eum aut negligenter, aut malitiosè fecisse loquerentur, sicut accidit: nam corruptum à rege capere Cymen noluisse arguebant. Itaque huic maximè imputamus malo fuisse nimiam opinionem ingenij, atque virtutis, timebatur enim non minus, quàm diligebatur, ne secunda fortuna, magnísque opibus elatus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent, & alium in ejus locum substituerent. Id ille ut audivit, domum reverti noluit, & se Perinthum contulit, ibíque tria castella communivit, Bornos, Bizam, Themeonticos: manúq; conjecta primus Græciæ civitatis in Thraciam introiit glorioſius existimans barbarorum,

præda locupletari, quàm Grajorum. Qua ex re creverat ejus fama cum opibus, magnámque amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciæ pepererat. Neque tamen à caritate patriæ potuit recedere. nam cùm apud Ægos flumen Philocles prætor Athenienſium claſſem conſtituiſſet ſuam, neque longè abeſſet Lyſander prætor Lacedæmoniorum, qui in eo erat occupatus, ut bellum quàm diutiſſimè duceret, quòd ipſis pecunia à rege ſuppeditabatur: contrà Athenienſibus exhauſtis, præter arma & naveis nihil erat ſuper: Alcibiades ad Athenienſium vênit exercitum, ibíque præſente vulgo agere cœpit, ſi vellent, ſe coacturum Lyſandrum dimicare, aut pacem petere: reſpondent Lacedæmonios cò nolle confligere

cap. 8

gere classe, quòd pedestribus copiis plus, quàm navibus, valerent: sibi autẽ esse facile Seuthen regem Thracum deducere, ut eos terra depelleret: quo facto necessariò aut classe conflicturos, aut bellum composituros. Id etsi verè dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere noluit, quòd sentiebat, se Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum: &, si quid secundi eveniſſet, nullam in ea re suam partem fore: contra ea, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades, quoniam, inquit, victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, juxta hostem castra habeas nautica. periculum est enim, ne immodestia militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimẽ-

di exercitus. Neque ea res illum fefellit. nam Lysander cùm per speculatores comperisset, vulgum Athenienſium in terram prædatum exisse, navesque pæne inaneis relictas, tempus rei gerendæ non dimisit, eóque impetu totum bellum decap. 9. levit. At Alcibiades victis Atheniensibus non satis tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillimè suam fortunam occuli posse: falsò. nam Thraces postquàm eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias fecerunt. qui ea, quæ apportarat, abstulerunt: ipsum capere non potuerunt. Ille cernens, nullum locum sibi tutum in Græcia, propter potentiam Lacedæmoniorum, ad Pharnabazũ in Asiam transit, quem qui-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0094
DFG

dem adeò sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. namque ei Grunium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquaginta talenta vectigalis capiebat. Qua fortuna Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedæmoniis servire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. sed videbat id sine rege Perse non posse fieri. ideóque eum amicum sibi cupiebat adjungi. neque dubitabat facilè se consecuturum, si modò ejus conveniendi habuisset potestatem. nam Cyrum fratrem ei bellum clàm parare Lacedæmoniis adjuvantibus sciebat. id si aperuisset, magnam se ab eo initurum gratiam videbat. Hoc cap: 10
cùm moliretur, peterétque à Pharnabazo, ut ad regem

mitteretur, eodem tempore Critias, ceteríque tyranni Athenienſium certos homines ad Lyſandrum in Aſiam miſerant, qui eum certiorem facerent, niſi Alcibiadem ſuſtuliſſet, nihil earum rerum fore ratum, quas ipſe Athenis conſtituiſſet, quare ſi ſuas res geſtas manere vellet, illum perſequeretur. His Lacon rebus commotus ſtatuit accuratius ſibi agendam cum Pharnabazo ſocietatem, huic ergo renuntiat quæ regi cum Lacedæmoniis eſſent, niſi Alcibiadem vivum, aut mortuum ſibi tradidiſſet. Non tulit hoc ſatrapes, & violare clementiã, quàm regis opes minui, maluit. Itaque miſit Syſamithren & Bageum ad Alcibiaden interficiendum, cùm ille eſſet in Phrygia, itérque ad regem compararet. Miſſi, clàm vici-

nitati, in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi cum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa Sami-neam, in qua quiescebat, eámque succenderunt, ut incendio conficerent, quem manu superari posse diffidebant. Ille autem ut sonitu flammæ est excitatus, etsi gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. namque erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui numquam discedere voluerat. hunc sequi se jubet, & id, quod in præsentia vestimentorum fuit, arripuit. his in ignem ejectis flammæ vim transiit. Quem ut barbari incendium effugisse viderunt, telis eminus missis interfecerunt, capútque ejus ad Pharnabazum retulerunt. At mulier, quæ

cùm eo vivere consueverat, mu-
liebri sua veste contectum ædi-
ficij incendio mortuum crema-
vit, quod ad vivum interimen-
dum erat comparatum. Sic Al-
cibiades annos circiter quadra-
ginta natus, diem obiit supre-
cap. 11. mum. Hunc infamatum à ple-
risque tres gravissimi historici
summis laudibus extulerunt:
Thucydides, qui ejusdem æta-
tis fuit: Theopompus, qui fuit
pòst aliquanto natus: & Ti-
mæus: qui quidem duo ma-
ledicentissimi, nescio quo mo-
do, in illo uno laudando con-
senserunt. nam ea, quæ supra
diximus, de eo prædicarunt, at-
que hoc amplius, cùm Athe-
nis splendidissima civitate na-
tus esset, omneis splendore
ac dignitate vitæ superasse: :
postquàm inde expulsus The-
bas venerit adeò studiis eorum

inserviſſe, ut nemo eum labore, corporíſque viribus poſſet æquiparare. omnes enim Bœotij magis firmitati corporis, quàm ingenij acumini inſerviunt. eundem apud Lacedæmonios, quorum moribus ſumma virtus in patientia ponebatur, ſic duritiæ ſe dediſſe, ut parſimonia victus atque cultus omneis Lacedæmonios vinceret: fuiſſe apud Thracas, homines vinolentos, rebúſque Veneris deditos: hos quoque in his rebus anteceſſiſſe: veniſſe ad Perſas, apud quos ſumma laus eſſet fortiter venari, luxuriosè vivere: horum ſic imitatum conſuetudinem, ut illi ipſi eum in his maximè admirarentur. quibus rebus effeciſſe, ut apud quoſcunque eſſet, ponerétur princeps, haberetúrque ca-

rissimus. Sed satis de hoc, reliquos ordiamur.

THRASYBVLVS.

Cap. 1. THrasybulus Lyci filius Athenienſis, ſi per ſe virtus ſine fortuna ponderanda ſit, dubito an hunc primum omnium ponam. illi ſine dubio neminem præfero fide, conſtantia, magnitudine animi, in patriam amore. nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare, huic contigit, ut à triginta oppreſſam tyrannis ex ſervitute in libertatem vindicaret. Sed neſcio quo modo, cùm eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate præcurrerunt. Primum Peloponneſio bello multa hic ſine Alcibiade geſſit, ille nullam rem ſine hoc: quæ ille

universa naturali quodam bono fecit lucri. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus & fortuna, quòd in prœlij concursu abit res à consilio ad vireis, vímque pugnantium. Itaque jure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima verò à fortuna vindicat, séque hîc plus valuisse, quàm ducis prudentiam, verè potest prædicare. Quare illud magnificentissimum factum, proprium est Thrasybuli. nam cùm triginta tyranni præpositi à Lacedæmonijs, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos civeis, quibus in bello parserat fortuna, partim patria expulissent, partim interfeciſſent, plurimorum bona publicata inter se divisissent: non solùm princeps, sed & solus initiò bellum his indixit. Hic Cap. 2.

enim cùm Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Atticorum, hoc robur libertatis clarissimæ civitatis. Neque verò hic non contemptus est primò à tyrannis, atque ejus solitudo. quæ quidem res & illis contemnentibus, perniciei, & huic despecto, saluti fuit. hæc enim illos ad persequendum segneis, hos autem tempore ad comparandũ dato fecit robustiores. Quo magis præceptum illud omniũ in animis esse debet, *Nihil in bello oportere contemni*, nec sine causa dici, *Matrem timidi flere non solere*. Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes. nam jam tum illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur, quàm pugna-

bant. Hinc in Piræeum transiit, Munychiámque munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti, ab eáque turpiter repulsi, protinus in urbem armis, impedimentisque amissis refugerunt. Usus est Thrasybulus non minus prudentia, quàm fortitudine. nam cedentcis violari vetuit. civeis enim civibus parcere æquum censebat. neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. neminem jacentem veste spoliavit. nil attigit, nisi arma, quorum indigebat, quæque ad victum pertinebant. In secundo prœlio cecidit Critias, dux tyrannorum, cùm quidem exadversus Thrasybulum fortissimè pugnaret. Hoc dejecto Pausanias venit Atticis auxilio rex Lacedæmoniorũ. Is inter Thrasybulum, & eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his conditio- Cap. 3.

nibus, ne qui, præter triginta tyrannos, & decem, qui postea prætores creati, superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exilio, neve cujusquam bona publicarentur: reipublicæ procuratio populo redderetur. Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quòd reconciliata pace cùm plurimum in civitate posset, legem tulit, ne quis anteactarum rerum accusaretur, néve multaretur: eámque illi legem oblivionis appellarunt: neque verò hanc tantùm ferendam curavit, sed etiam, ut valeret, effecit. nam cùm quidam ex iis, qui simul cum eo in exilio fuerunt, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditũ erat, publicè prohibuit: & id, quod pollicitus erat, præstitit. Huic pro tantis meritis honoris corona à populo data est,

cap. 4.

est, facta duabus virgulis oleaginis: quam, quòd amor civiũ, & non vis, expressérat, nullam habuit invidiam, magnaq; fuit gloria. Benè ergo Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, cùm ei Mytilenæi multa millia jugerum agri & munera darent, Nolite (oro vos) inquit, mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. quare ex istis nolo amplius, quàm centum jugera, quæ & meam animi æquitatem, & vestram voluntatem indicent. nam parva munera, diutina: locupletia, non propria esse consueverunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisivit, neque quemquam honore se antecessisse existimavit. Hic sequenti tempore cùm prætor classem ad Siciliam appulisset,

neque satis diligenter in castris ejus agerentur vigiliæ, à barbaris ex oppido, noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

CONON.

cap. 8

COnon Athenienſis Peloponneſio bello acceſſit ad rempublicam, in eóque ejus opera magni fuit. nam & prætor pedeſtribus exercitibus præfuit, & præfectus claſſis res magnas mari geſſit. Quas ob cauſas præcipuus ei honos habitus eſt. namque omnibus unus inſulis præfuit. in qua poteſtate Pheras cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Peloponneſio bello prætor, cùm apud Ægos flumen copiæ Athenienſium à Lyſandro ſunt devictæ. Sed tum aſuit, eóque pejus res adminiſtrata eſt. nam &

prudens rei militaris, & diligens erat imperij. Itaque nemini erat his temporibus dubium, si affuisset, illam Athenienseis calamitatem accepturos non fuisse. Rebus autem afflictis cùm patriam obsideri audisset, non quæsivit, ubi ipse tutò viveret, sed unde præsidio posset esse civibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabasum satrapen Joniæ & Lydiæ, eundémque generum regis & propinquum: apud quem ut multùm gratia valeret, multo labore, multísque effecit periculis. Nam cùm Lacedæmonij Athenienſibus devictis in societate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant, Agesilaùmque bellatum misissent in Asiam, maximè impulsi à Tissapherne, qui ex intimis regis ab amicitia ejus defecerat, Cap. 2.

& cum Lacedæmoniis coierat societatẽ: hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator, re quidem vera exercitui præfuit Conon, ejúsque omnia arbitrio gesta sunt. Hic multum ducem summum Agesilaum impedivit, sæpéque ejus consiliis obstitit. neque verò non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum. Qui postea quàm domum à suis civibus revocatus est, quòd Bœotij & Athenienses Lacedæmoniis bellum indixerant, Conon nihilo secius apud præfectos regis versabatur, iísque omnibus magno
cap. 3. erat usui. Defecerat à rege Tissaphernes, neque id tam Artaxerxi, quàm ceteris, erat apertũ, multis enim, magníque meritis apud regem, & cùm in officio non maneret, valebat. neque id

mirandum, si non facilè ad credendum inducebatur reminiscens ejus se opera Cyrum fratrem superasse. Hujus accusandi gratia Conon à Pharnabazo ad regem missus, posteaquã vênit, primùm ex more Persarũ ad cheliarchum, qui secundũ gradum imperij tenebat, Tethraustem accessit, séq; ostendit cum rege colloqui velle. nemo enim sine hoc admittitur. huic ille inquit, nulla mora est: sed tu delibera, utrùm colloqui malis, an per literas agere, quæ cogitas. necesse est enim, si in conspectũ veneris, venerari te regem, quod προσκυνῆν illi vocant, hoc si tibi grave est, per me nihilo secius editis mandatis conficies, quod studes. Tum Conon, mihi verò, inquit, non est grave quemvis honorẽ habere regi, sed vereor, ne civitati meæ sit opprobrio, si,

cùm ex ea sim profectus, quæ ceteris gentibus imperare consueverit, potius barbarorum, quàm illius, more fungar. Itaque quæ volebat huic scripta
Cap. 4. tradidit. Quibus cognitis rex tantùm auctoritate ejus motus est, ut Tissaphernem hostem judicarit, & Lacedæmonios bello persequi jusserit, & ei permiserit, quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negavit sui esse consilij, sed ipsius, qui optimè suos nosse deberet: sed se suadere, Pharnabazo id negotii daret. Hinc magnis muneribus donatus ad mare est missus, ut Cypriis, & Phœnicibus, ceterisque civitatibus maritimis navcis longas imperaret, classémque, qua proxima æstate mare tueri posset compararet, dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse

voluerat. Id ut Lacedæmonijs est nuntiatũ, non sine cura rem administrarũt, quòd majus bellum imminere arbitrabantur, quam si cũ barbaro solùm contenderent. nam ducem fortem, prudentem, regis opibus præfuturum, ac secum dimicaturum videbant: quem neque consilio, neque copiis superare possent. Hac mente magnam contrahũt classem, proficiscũtur Pisandro duce. Hos Conon apud Cnidum adortus magno prœlio fugat, multas naveis capit, complureis deprimit. Qua victoria non solùm Athenæ, sed etiã cuncta Græcia, quæ sub Lacedęmoniorum fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte navium in patriam venit, muros dirutos à Lysandro utrósque & Piræei, & Athenarum reficiendos curat: pecuniæque L. talenta, quæ à

Pharnabazo acceperat, civibus
Cap. 5. suis donat. Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda, quàm in adversa esset fortuna. nam classe Peloponnesiorum devicta, cùm ultum se injurias patriæ putaret, plura concupivit, quàm efficere potuit. Neque tamen ea non pia & probanda fuerunt, quòd potius patriæ opes augeri, quàm regis, maluit. nam cùm magnam auctoritatem sibi pugna illa navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset non solùm inter barbaros, sed etiam inter omnes Græciæ civitates, clàm dare operam cœpit, ut Joniam & Æoliam restitueret Athenienſibus. Id cùm minus diligenter esset celatum, Tiriabasus, qui Sardibus præerat, Cononem evocavit, simulans ad regem se mittere eum

velle magna de re. Hujus nuntio parens cùm veniſſet, in vincula conjectus eſt: in quibus aliquãdiu fuit. Inde nonnulli eum ad regem abductum, ibíque eum periiſſe ſcriptum reliquerunt. Contra ea Dinon hiſtoricus, cui nos plurimum de Perſicis rebus credimus, effugiſſe ſcripſit, illud addubitat, utrum Tirbazo ſciente, an imprudente ſit factum.

DION.

DIon Hipparini filius, Syracuſanus, nobili genere natus, utraque implicatus tyrannide Dionyſiorum. namque ille ſuperior Ariſtomachen, ſororem Dionis habuit in matrimonio, ex qua duos filios Hipparinum & Nyſeum procreavit, totidémque filias, nomine Sophroſynen, & Areten. quarum priorem Dio- Cap. 1

nysio filio eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit, alteram Aretem Dioni. Dion autem præter nobilem propinquitatem, generosámq; majorum famam, multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, quæ non minimùm commendatur: magnas præterea divitias à patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. Erat intimus Dionysio priori, neque minus propter mores, quàm affinitatem. namque etsi Dionysij crudelitas ei displicebat, tamen salvum propter necessitudinẽ, magis etiam suorum causa studebat. aderat in magnis rebus: ejúsque consilio multùm movebatur tyrannus, nisi qua in re major ipsius cupiditas intercesserat. Legationes verò omnes,

quæ essent illustriores, per Dionem administrabantur: quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni sua humanitate tegebat. Hunc à Dionysio missum Karthaginienses suspexerunt, ut neminem umquam Græca lingua loquentem magis sint admirati. Neque verò hæc Dionysium fugiebant. nam quanto esset sibi ornamento sentiebat. quo fiebat, ut uni huic magis indulgeret, neque eum secus diligeret, ac filium. qui quidem cùm Platonem Tarentum veniisse fama in Siciliam esset perlata, adolescenti negare non potuit, quin eum arcesseret, cùm Dion ejus audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnáque cum ambitione Syracusas perduxit. Cap: 2.

quem Dion adeò admiratus est, atque adamavit, ut se totum ei traderet. neque verò minus Plato delectatus est Dione. Itaque cùm à Dionysio crudeliter violatus esset, quippe quem venundari jussisset, tamen eodem rediit, ejusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius: quo cùm gravi conflictaretur, quæsivit à medicis Dion, quemadmodum se haberet, simúlq; ab his petiit, si forte majori esset periculo, ut sibi faterẽtur. nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno, quòd sororis suæ filios ex illo natos partem regni putabat debere habere. Id medici non tacuerunt, & ad Dionysium filiũ sermonem retulerunt. quo ille commotus, ne agendi esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coëgit. Hoc æger

sumpto

sumpto somno sopitus, diem obiit supremum. Tale initium fuit Dionis & Dionysij simultatis, eáque multis rebus aucta est: sed tamen primis temporibus aliquandiu simulata inter eos amicitia mansit. cúmque Dion non desisteret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret, & ejus consiliis uteretur, ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, morem ei gessit. eodémque tempore Philistum historicum Syracusas reduxit, hominem amicum non magis tyranno, quàm tyrannis. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis Græcis conscriptus est. Plato autem tantùm apud Dionysium auctoritate potuit, valuítque eloquentia, ut ei persuaserit tyrannidis facere finem, libertatémque reddere Syracusanis, à Cap. 3.

qua voluntate Philisti consilio deterritus, aliquanto crudelior esse cœpit. Qui quidem cùm à Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi, verens, ne si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi, navem ei triremem dedit, qua Corinthum deveheretur, ostendens, se id utriusque facere causa, ne cùm inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. Id cùm factum multi indignarentur, magnæq; esset invidiæ tyranno, Dionysius omnia, quæ moveri poterant, Dionis in naveis imposuit, ad eúmq; misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suæ salutis feciſſe causa. Postea verò quàm audivit, eum in Peloponneso manum comparare, sibíq; bellum facere conari: Areten Dionis uxo-

Cap. 4

rem alij nuptum dedit: filiúmque ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. nam puero prius, quàm pubes esset, scorta adducebantur: vino, epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. Is usque eò vitæ statũ commutatum ferre non potuit, ut, postquàm in patriam rediit pater (namque appositi erant custodes, qui eum à pristino victu deducerent) se superiore parte ædium dejecerit, atq; ita interierit. Sed illuc revertor. Postquàm Corinthum cap. 5
pervênit Dion, & eodem perfũgit Heraclides ab eodem expulsus Dionysio, qui præfectus fuerat equitũ: omni ratione bellum comparare cœperunt: sed non multũ proficiebãt, quòd multorũ annorũ tyrannis magnarum opum putabatur. quam ob cau-

sam pauci ad societatem periculi perducebantur. Sed Dion fretus non tam suis copiis, quàm odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis navib⁹, quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centúmque peditum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeò facilè perculit, ut post diem tertium, quàm Siciliam attigerit, Syracusas introierit. *Ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi benivolentia munitum.* Eo tempore aberat Dionysius, & in Italia classem operiebatur, adversariorum ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum, quæ res eum fefellit, nam Dion iis ipsis, qui sub adversarij fuerant potestate, regios spiritus

repreſſit, totiúſque ejús partis Siciliæ potitus eſt, quæ ſub Dionyſij poteſtate fuerat: paríque modo urbis Syracuſarum, præter arcem & Inſulam adjunctam oppido. eóque rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet, Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionyſius, Syracuſas Apollocrates, cui maximam fidem uni habebat Dionyſius. Has tam proſperas, támque inopinatas res conſecuta eſt ſubita commutatio, quòd fortuna ſua mobilitate, quem paulo antè extulerat, demergere eſt adorta: primùm in filio, de quo commemoravi ſupra, ſuam vim exercuit. nam cùm uxorem reduxiſſet, quæ alij fuerat tradita, filiúmque vellet revocare ad virtutem à perdita luxuria, accepit graviſſimum parens vulnus

morte filij: deinde orta dissensio est inter eum & Heraclidem: qui quod principatū non concedebat factionem comparavit. neq; is minus valebat apud optimateis: quorum consensu præerat classi, cùm Dion exercitum pedestrem teneret. Non tulit hoc animo æquo Dion, & versum illum Homeri retulit ex secunda rhapsodia: in quo hæc sententia est, *Non posse bene geri rem multorum imperio.* quod dictū magna invidia consecuta est. namq; aperuisse videbatur, se omnia in sua potestate esse velle. hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidémque, cùm Syracusas veniisset, interficiendū curavit. Quod factum omnibus maximū timorem injecit. nemo enim illo interfecto se tutum putabat. Ille autem adversario remo-

cap: 7

to licentius eorum bona, quos sciebat adversus se sensisse, militibus dispertivit. quibus divisis cùm quotidiani maximi fierent sumptus celeriter pecunia deesse cœpit: neq; quò manus porrigeret, suppetebat, nisi in amicorũm possessiones. id ejusmodi erat, ut, cùm milites reconciliasset, amitteret optimateis. quarũ rerũ cura frãgebatur, & insuet? malè audiendi non æquo animo ferebat, de se ab iis malè existimari, quorũ paullo antè in cœlũ fuerat elatus laudibus. Vulgus autem offensa in eum militũ voluntate liberius loquebatur, & tyrannum non ferendum dictitabat. Hæc ille intuens, cùm quemadmodum sedaret, nesciret, & quorsum evaderent, timeret: Callicrates quidam, civis Athenienſis, qui simul cum eo ex Pelopõneso in Siciliam vene-

rat, homo & callidus, & ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide, adit ad Dionem, & ait, eum in magno periculo esse propter offensionem populi, & odium militum: quod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum, quem si inveniisset idoneum, facilè omnium animos cogniturum, adversariósque sublaturum, quòd inimici ejus dissidenti suos sensus aperturi forent. Tali consilio probato excipit has parteis ipse Callicrates: & se armat imprudentia Dionis: ad eum interficiendum socios conquirit, adversarios ejus convenit, conjurationē confirmat. Res, multis conscíis quæ gereretur, elata defertur ad Aristomachen, sororem Dionis, uxorémq; Areten. Illæ timore per-

territæ conveniunt, cujus de periculo timebant. At ille negat, à Callicrate fieri sibi insidias, sed illa quæ agerentur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicratem in ædem Proserpinæ deducunt, ac jurare cogunt, nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione non modò non deterritus, sed ad maturandum concitatus est, verens ne prius consilium aperiretur suum, quàm conata perfeciſſet. Hac mente proximo die festo, cùm à conventu remotum se Dion domi teneret, atque in conclavi edito recubuisset: conscîis facinoris loca munitiora oppidi tradit, domum custodiis sepit, à foribus qui non discedant certos præficit: navem triremem armatis ornat Philostratoque fratri suo, tradit: eámq; in portu agitari jubet, ut si ex-

ercere remiges vellet, cogitans, si forte consiliis obstitisset fortuna, ut haberet, quò fugeret ad salutem. suorum autem è numero Zaguntinos adolescenteis quosdam elegit, cùm audacissimos, tum viribus maximis: hisque dat negotium, ad Dionem eant inermes, sicut convenendi ejus gratia viderentur venire. Hi propter notitiam sunt intromissi. At illi, ut limen ejus intrarunt, foribus obseratis in lecto cubantem invadunt: colligant, fit strepitus, adeò ut exaudiri posset foris. Hîc, sicut antè sæpe dictum est, quàm invisa sit singularis potentia, & miseranda vita, qui se metui, quàm amari malunt, cuivis facile intellectu fuit. namque illi ipsi custodes, si propria fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent, quòd illi

inermes telum foris flagitantes vivum tenebant. cui cùm succurreret nemo, Lygo quidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est. Confecta cæde cùm multitudo visendi gratia introiisset, nonnulli ab insciis pro noxiis conciduntur. nam celeri rumore dilato Dionivim allatam, multi concurrerant; quibus tale facinus displicebat. Hi falsa suspicione ducti immerenteis, ut sceleratos, occidunt. Hujus de morte ut palàm factum est, mirabiliter vulgi immutata est voluntas. nam qui vivum eum tyrannum vocitarant, eundem liberatorem patriæ, tyranníque expulsorem prædicabant. Sic subitò misericordia odio successerat, ut cum suo sanguine ab Acherunte si possent, cuperent redi-

Capitolo

mere. Itaque in urbe, celeberrimo loco, elatus publicè, sepulcri monumento donatus est. diem obiit circiter annos quinquaginta quinque natus, quartum post annum, quàm ex Peloponneso in Siciliam redierat.

IPHICRATES.

C. 1 IPhicrates Athenienſis non tam magnitudine rerum geſtarum, quàm diſciplina militari nobilitatus eſt. fuit enim talis dux, ut non ſolùm ætatis ſuæ cum primis compararetur, ſed ne de majoribus natu quidem quiſquam anteponeretur. multùm verò in bello eſt verſatus, ſæpe exercitibus præfuit, nuſquam culpa malè rem geſſit, ſemper conſilio vicit, tantúmque eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit,

partim meliora fecerit? namque ille pedestria arma mutavit, cùm ante illum imperatorem maximis clypeis, brevibus hastis, minutis gladiis, uterentur. Ille è contrario peltam pro parma fecit, à quo postea peltastæ pedites appellantur, ut ad motus, concursúsque essent leviores. hastæ modum duplicavit, gladios longiores fecit. Idem genus loricarum & pro sertis atque aënis linteas dedit, quo facto expeditiores milites reddidit. nam pondere detracto, quod æquè corpus tegeret, & leve esset, curavit. Bel- C. 2.
lum cum Thracibus gessit: Seuthen socium Athenienſium in regnum restituit. Apud Corinthum tanta severitate exercitui præfuit, ut nullæ umquã in Græcia neque exercitatiores copiæ, neque magis dicto au-

dientes fuerint duci: in eámq; consuetudinem adduxit, ut, cùm prœlij signum ab imperatore esset datum sine ducis opera sic ordinatæ consisterent, ut singuli ab peritissimo imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu moram Lacedæmoniorũ intercepit: quod maximè tota celebratum est Græcia. Iterum eodem bello omneis copias eorum fugavit. quo facto magnam adeptus est gloriam. Cùm Artaxerxes Ægyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Athenienſibus petiyit ducem, quem præficeret exercitui conductitio, cujus numerus duodecim millium fuit. quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut, quemadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenſes apud

Græcos in ſumma laude fuerunt. Idem ſubſidio Lacedæmoniis profectus, Epaminondæ retardavit inceptus. nam niſi ejus adventus appropinquaſſet, non prius Thebani Sparta abſceſſiſſent, quàm captam incendio deleſſent. Fuit autem & animo magno, & corpore: imperatoriáq; forma, ut ipſo aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui. ſed in labore remiſſus nimis, parúmque patiens, ut Theopompus memoriæ prodidit, bonus verò civis, fidéq; magna quod cùm in aliis rebus declaraverit, tũ maximè in Amyntæ Macedonis liberis tuendis. namq; Eurydice, mater Perdiccæ & Philippi, cum his duobus pueris, Amynta mortuo, ad Iphicratem confũgit, ejúſque opibus defenſa eſt. Vixit ad ſenectutem placatis in ſe ſuorum

civium animis. Causam capitis semel dixit, bello sociali simul cum Timotheo, eóque judicio est absolutus. Menesthea filium reliquit ex Tarsa natum, Coti regis filia. Is cùm interrogaretur, utrùm pluris patrem, matrémne faceret: matrem, inquit. id cùm omnibus mirum videretur: at ille, meritò, inquit, facio. nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit, vel creavit: contra ea mater Athenienſem.

CHABRIAS.

CHabrias Athenienſis. Hic quoque in ſummis habitus eſt ducibus, résque multas memoria dignas geſſit. Sed ex his elucet maximè inventum ejus in prœlio, quod apud Thebas fecit, cùm Bœotiis ſubſidio ve-

nisset. namque in ea victoria fidentem summum ducem Agesilaum, fugatis jam ab eo conductitiis catervis, reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixóq; genu scuto, projecta hasta impetum excipere hostium docuit. Id novum Agesilaus intuens, progredi non est ausus, suóq; jam incurrenteis tuba revocavit. Hoc usq; eò tota Græcia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Athenienſibus in foro constituta est. Ex quo factum est, ut postea athletæ, ceteríque artifices his statibus statuis ponendis uterẽtur, cùm victoriã essent adepti. Chabrias autem multa in Europa bella administravit, cùm dux Athenienſium esset: in Ægypto sua sponte gessit. nam Nectanebum adjutũ profectus, regnum 2.

ei constituit. Fecit idem Cypri, sed publicè ab Athenienſibus Evagoræ adjutor datus. neque prius inde diſceſſit, quàm totam inſulam bello devinceret. qua ex re Athenienſes magnam gloriam ſunt adepti. Intérim bellum inter Ægyptios & Perſas conflatũ eſt: Athenienſes cum Artaxerxe ſocietatem habebãt, Lacedæmonij cum Ægyptiis, à quibus magnas prædas Ageſilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias cùm in re nulla Ageſilao cederet, ſua ſponte eos adjutum profectus, Ægyptiæ claſſi præfuit: pedeſtribus copiis Ageſilaus. Tum præfecti regis Perſæ legatos miſerũt Athenas queſtũ, quòd Chabrias adverſum regem bellum gereret cum Ægyptiis. Athenienſes diẽ certam Chabriæ præſtituerunt, quam ante domum niſi rediſſet,

C. 3.

capitis se illum damnaturos denuntiarunt. Hoc ille nuntio Athenas rediit, neque ibi diutius est moratus, quàm fuit necesse. Non enim libenter erat ante oculos civium suorum, quòd & vivebat lautè, & indulgebat sibi liberalius, quàm ut invidiam vulgi posset effugere. Est enim hoc commune vitium in magnis, liberísque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, & libenter de iis detrahant, quos emergere videant altius: neque animo æquo pauperes alienam opulentum intuentur fortunã. Itaque Chabrias, quoad ei licebat, plurimùm aberat. Neque verò solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes ferè principes fecerunt idem: quòd tantùm se ab invidia putabãt futuros, quantùm à conspectu suorum recessissent. Itaque Conon

Invidia

plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbo, Chares Sigæo. Dissimilis quidem Chares horum & factis & moribus, sed tamen Athenis
4. & honoratus, & potens. Chabrias autem periit bello sociali tali modo. oppugnabant Athenienses Chium. erat in classe Chabrias privatus, sed omneis, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eúmque magis milites, quàm qui præerant, aspiciebant. quæ res ei maturavit mortem. nam dum primus studet portum intrare, gubernatorem jubet eò dirigere navem: ipse sibi perniciei fuit. cùm enim eò penetrasset, ceteræ non sunt secutæ. quo facto circumfusus hostium concursu, cùm fortissimè pugnaret, navis rostro percussa, cœpit sidere. hinc cùm refugere non posset, si se in

mare dejeciſſet, quòd ſuberat claſſis Athenienſium, quæ excipere natantes, perire maluit, quàm armis abjectis navem relinquere, in qua fuerat vectus. id ceteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt. at ille præſtare honeſtam mortem exiſtimans turpi vitæ, cominus pugnans telis hoſtium interfectus eſt.

TIMOTHEUS.

TImotheus, Cononis filius, Athenienſis. hic à patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. fuit enim diſertus, impiger, laborioſus, rei militaris peritus; neque minus civitatis regendæ. Multa hujus ſunt præclarè facta, ſed hæc maximè illuſtria. Olynthios & Byzantios bello ſubegit. Samum cepit, in

quo oppugnando superiori bello Athenienses mille & ducenta talenta consumserant. id ille sine ulla publica impensa populo restituit. Adversum Cotum bella gessit. ab eóque mille & ducenta talenta prædæ in publicum detulit. Cyzicum obsidione liberavit. Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est: à quo cùm Laco pecuniam numeratam accepisset, ille civeis suos agro, atque urbibus augeri maluit, quàm id sumere, cujus partem domum suam ferre posset. Itaque accepit Chritonem & Sextum. Idem classi præfectus circumvehens Peloponnesum, Laconicem populatus, classem eorũ fugavit. Corcyram sub imperium Atheniensium redegit: sociósque idem adjunxit Epirotas, Athamãtias, Chaonas, omneísque eas gen-

teis, quæ mare illud adjacent. quo facto Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt, & sua sponte Atheniensibus imperii maritimi principatum concesserunt, pacémque his legibus constituerunt, ut Athenienses mari duces essent. Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primum aræ paci publicæ sint factæ, eiqúe deæ pulvinar sit institutum. Cujus laudis ut memoria maneret, Timotheo publicè statuam in foro posuerunt. qui honos huic uni ante hoc temp⁹ contigit: ut, cùm patri populus statuã posuisset, filio quoq; daret. Sic juxta posita recens filii, veterem patris renovavit memoriam. Hic cùm 3. esset magno natu, & magistratus gerere desisset, bello Athenienses undique premi sunt cœpti. defecerat Samus: desciverat Helle-

ſpontus: Philippus jam tunc valens Macedo multa moliebatur: cui oppoſitus Chares cùm eſſet, non ſatis in eo præſidij putabatur. Fit Meneſtheus prætor, filius Iphicratis, gener Timothei, & ut ad bellum proficiſcatur, decernitur. Huic in conſilium dantur duo uſu ſapientiáque præſtantes, quorum conſilio uteretur, pater & ſocer, quòd in his tanta erat auctoritas, ut magna ſpes eſſet, per eos, amiſſa poſſe recuperari. Hi cùm Samũ profecti eſſent, & eodem Chares illorum adventu cognito cum ſuis copiis proficiſceretur, ne quid abſente ſe geſtum videretur: accidit, cùm ad inſulam appropinquarent, ut magna tempeſtas oriretur: quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati, ſuam claſſem ſuppreſſerunt. At ille temeraria uſus

sus ratione non cessit majorum natu auctoritati: &, ut si in sua manu esset fortuna, quò contenderat, pervênit: eodémque ut sequerentur, ad Timotheum, & Iphicratem nuntium misit. hinc male re gesta, compluribus amissis navibus, eodem, unde erat profectus, se recepit, litterásque Athenas publicè misit, sibi proclive fuisse Samum capere, nisi à Timotheo & Iphicrate desertus esset, populus acer, suspicax, ob eámque rem mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ, in crimen vocabantur, domum revocat: accusantur proditionis. Hoc judicio damnatur Timotheus, lísque ejus æstimatur centum talentis. Ille odio ingratæ civitatis coactus, Chalcidem se contulit. Hujus post 4.
mortem cum populum, judicij

sui pœniteret, multæ novem parteis detraxit, & decem talenta Cononem ejus filium, ad muri quandam partem reficiendam jussit dare. in quo fortunæ varietas est animadversa. nã quos avus Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, eósdem nepos cum summa ignominia familiæ ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatæ, sapientísq; vitæ, cùm pleráque possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, quòd ex eo facilè conjici poterit, quàm carus suis fuerit. Cùm Athenis adolescentulus causam diceret, non solùm amici, privatíque hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Jason tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic cùm in patria sine satellitibus sg

tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio vênit: tantíque hospitem fecit, ut mallet se capitis periculũ adire, quàm Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversus tamen Timotheus posteà populi jussũ bellum gessit: patriæ sanctiora jura, quàm hospitij, esse duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum Athenienſium, Iphicratis, Chabriæ, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoria. Venio nunc ad fortissimum virum, maximíque consilij omnium barbarorum, exceptis duobus Karthaginiensibus. Hamilcare, & Annibale. de quo hoc plura referemus, quod & obscuriora sunt ejus gesta pleráque: & ea, quæ prosperè ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilij, quo tùm

omneis superabat, acciderunt s quorũ nisi ratio explicata fuerit, res apparêre non poterunt.

DATAMES.

DAtames patre Camissare, natione Care, matre Scythissa natus, primùm militum numero fuit apud Artaxerxem, eorum, qui regiam tuebantur. pater ejus Camissares, quòd & manu fortis, & bello strenuus, & regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciæ juxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri. Datames militare munus fungens primùm qualis esset aperuit in bello, quod rex adversus Cadusios gessit. namq; hîc multis millibus regiorum interfectis magni fuit ejus opera. quo factum est, cùm in eo bello ce-

cidisset Camissares paterna ei traderetur provincia. Parisez virtute postea præbuit, cùm Autophradates jussu regis bello persequeretur eos, qui defecerant. namq; ejus opera hostes, cùm castra jam intrassent, profligati sunt, exercitúsque reliquus conservatus regis est. qua ex re majoribus rebus præesse cœpit. Erat eo tempore Thyus dynastes Paphlagoniæ, antiquo genere natus, à Phylemene illo, quem Homerus Troico bello à Patroclo interfectum ait. Is regis dicto audiens non erat. quã ob causam bello eum persequi constituit, eíq; rei præfecit Datamem propinquũ Paphlagonis, namq; ex fratre & sorore erant nati, quam ob causam Datames primùm experiri voluit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret; Ad quem cùm ve-

niſſet ſine præſidio, quòd ab amico nullas vereretur inſidias, pænè interiit. nam Thyus eum clam interficere voluit. Erat mater cum Datame amita Paphlagonis. ea, quid ageretur, reſciit: filiúmque monuit. Ille fuga periculum evitavit, bellúmque indixit Thyo. In quo cùm ab Ariobarzane præfecto Lydiæ, & Joniæ, totiúſq; Phrygiæ defertus eſſet, nihilo ſegnius perſeveravit, vivúmq; Thyum
3. cepit cum uxore & liberis. cujus facti ne prius fama ad regem, quàm ipſe, perveniret, dedit operam. Itaque omnibus inſciis eò, ubi erat rex, venit: poſteróque die Thyum, hominem maximi corporis, terribilíque facie, quòd & niger, & capillo longo, barbáque erat prolixa, optima veſte texit, quam ſatrapæ regij gerere con-

sueverant, ornavit etiam torque atque armillis aureis, ceteróque regio cultu: ipse agresti, duplicíque amiculo circumdatus, hirtáque tunica, gerens in capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. Quem cùm omnes conspicerent propter novitatem ornatus, ignotámque formam, ob eámque rem magnus esset concursus: fuit nemo, qui agnosceret Thyum, regiúque nuntiaret. Primò non accredidit: itaque Pharnabazum misit exploratum. à quo ut rem gestam comperit, statim admitti jussit, magnopere delectatus cùm facto, tum ornatu: in primis, quòd nobilis rex in potestatem inopinanti venerat. Itaque magnificè Datamem

donatum ad exercitum misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo, & Tithraste ad bellum Ægyptium, pariq; eum, atque illos, imperio esse jussit. Postea verò quàm Pharnabazum rex revocavit, illi summa
4. imperij tradita est. Hic cùm maximo studio compararet exercitum, Ægyptumque proficisci pararet: subitò à rege litteræ sunt ei missæ: ut Aspim aggrederetur, qui Cataoniam tenebat. quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. namque Aspis saltuosam regionem, castellisque munitam incolens, non solùm imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat, & quæ regi portarentur, arripiebat. Datames & si longè aberat ab his regionibus, & à maiore re abstrahebatur, tamen

regis voluntati morem gerendum putavit. Itaque cum paucis, sed viris fortibus, navem conscendit, existimans, quod accidit, facilius se imprudentem parva manu oppressurũ, quàm paratum, quamvis magno exercitu. Hac delatus in Ciliciam, egressus inde, dies, noctesque iter faciens, Taurum transiit, cóque, quò studuerat, vênit, quærit quibus locis sit Aspis. cognoscit haud longè abesse, profectúmque eum venatum: quem dum speculatur, adventus ejus causa cognoscitur. Pisidas cum iis, quos secum habebat, ad resistendũ Aspis combebat, ad resistendũ Aspis comparat. Id Datames ubi audivit, arma capit, suos sequi jubet, ipse equo concitato ad hostem vehitur. quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem pertimescit, atque à conatu resi-

stendi deterritus sese dedidit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens à quanto bello ad quàm parvam rem principem ducum misisset, se ipse reprehendit, & nuntium ad exercitum Ageen misit, quòd nondum Datamem profectum putabat: qui diceret, ne ab exercitu discederet. Hic priusquam perveniret, quò erat profectus, in itinere convênit, qui Aspim ducebant. Qua celeritate cùm magnam benivolentiam regis Datames consecutus esset, non minorem invidiam aulicorum excepit, quòd illum unum pluris, quàm se omneis, fieri videbant. quo facto cuncti ad eum opprimendũ consenserunt. Hæc Pandates, gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei

mittit, in quibus docet, eum magno fore periculo, si quid illo imperante in Ægypto adversi accidisset. namque eam esse consuetudinem regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ: quo facile fieri, ut impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestæ nuntientur. illum hoc majore fore in discrimine, quòd, quibus rex maximè obediat, eos habeat inimicissimos. Talibus ille litteris cognitis cùm jam ad exercitum Ageen veniisset, quòd non ignorabat ea verè scripta: desciscere à rege constituit, neque tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignum. nam Androclem Magnetem exercitui præfecit. ipse cum suis in Cappadociam discedit, conjunctámque huic Paphla-

goniam occupat, celans qua voluntate esset in regem, clàm cũ Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit. Sed hæc propter hiemale tempus minus prosperè procedebant. Audit, Pisidas quasdam copias adversus se parare. filium cò Arsideũ cum exercitu mittit. cadit in prœlio adolescens. proficiscitur cò pater non ita magna cum manu, celans quantum vulnus accepisset, quòd prius ad hostẽ pervenire cupiebat, quàm de male re gesta fama ad suos perveniret ne cognita filij morte animi debilitarentur militum. Quo contenderat, pervenit, iisq; locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset, neque impediri, quo minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat

cum

cum eo Mithrobarzanes socer ejus, præfectus equitum. is desperatis generi rebus ad hostes transfugit, Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset ab homine tam necessario se relictum, futurum ut cæteri consilium sequerentur. in vulgus edit, suo jussu Mithrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius receptus hostes interficeret. quare eum relinqui non par esse, sed omneis confestim sequi. quod si animo strenuo fecissent, futurum, ut adversarij non possent resistere, cum & inter vallum, & foris cæderentur. Hac re probata exercitum educit, Mithrobarzanem persequitur, qui dum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet. Pisidæ nova re commoti, in opinionem adducuntur, perfugas mala fide, compositó-

que feciſſe, ut recepti, eſſent majori calamitati. primùm eos adoriuntur. illi, cùm quid ageretur, aut quare fieret, ignorarent, coacti ſunt cum eis pugnare, ad quos tranſierant, ab hisque ſtare, quos reliquerant. quibus cùm neutri parcerent, celeriter ſunt conciſi. Reliquos Piſidas reſiſtenteis Datames invadit: primo impetu pellit, fugienteis perſequitur, multos interficit, caſtra hoſtiũ capit. Tali conſilio uno tempore & proditores perculit, & hoſteis profligavit: & quod ad ſuam perniciem fuerat cogitatum, id ad ſalutem convertit. quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum uſquam legimus. Ab hoc tamen 7. viro Sciſmas maximo natu filius deſciit, ad Regemq; tranſiit & de defectione patris detulit,

quo nuntio Artaxerxes commotus, quòd intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui cum cogitasset, facere auderet, & prius cogitare, quàm conari consuesset, Autophradatem in Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset saltum, in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit. sed tam subitò copias contrahere non potuit, à qua re depulsus cum ea manu, quam contraxerat, locum deligit talem, ut neque circumiretur ab hostibus, neque præteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur: & si dimicare eò vellet, non multũ obesse multitudo hostiũ suæ paucitati posset. Hæc etsi Autophradates videbat, tamen statuit congredi, quam cũ tantis copiis refugere, aut tam diu uno loco sedere. Habebat barbarorũ

equitum viginti, peditum centũ millia, quos illi Gardates appellant. ejuſdémq; generis III. funditorum. præterea Cappadocũ VIII. Armeniorum X. Paphlagonum V. Phrygum X. Lydorum V. Aſpendiorum & Piſidarum circiter III. Cilicum II. Captianorum totidem, ex Græcia conductorum III. levis armaturæ maximum numerũ. Has adverſus copias ſpes omnis conſiſtebat Datami in ſe locíq; natura. namq; hujus partem non habebat viceſimam militũ. Quibus fretus conflixit, adverſariorúmque multa millia concîdit, cùm de ipſius exercitu non amplius hominum mille cecidiſſet. quã ob cauſam poſtero die trophæum poſuit, quo loco pridie pugnatum erat. Hinc cùm caſtra moviſſet, ut inferior copiis, ita ſuperior omnibus prœliis di-

ſcederet, quòd numquam manũ conſereret, niſi cùm adverſarios locorum anguſtiis clauſiſſet. quod perito regionum, callidéq; cogitanti ſæpe accidebat. Authophradates cùm bellũm duci majore regis calamitate, quàm adverſariorum, videret, pacem amicitiámq; hortatus eſt, ut cũ rege in gratiam rediret. Quam ille & ſi non fidam fore putabat, tamẽ conditionem accepit, ſéq; ad Artaxerxem legatos miſſurũ dixit. Sic bellum, quod rex adverſus Datamem ſuſceperat, ſedatum. Autophradates in Phrygiam ſe recipit. At rex quòd implacabile odium in Datamem ſuſceperat, poſtquàm bello eum opprimi non poſſe animadvertit, inſidiis interſicere ſtuduit. quas ille pleráſque vitavit. ſicũt cùm ei nunciatum eſſet, quoſdam ſibi inſidiari; qui in amico-

rum erant numero. de quibus quod inimici detulerunt, neque credendum, neque negligendum putavit. experiri voluit verum, falsúmne sibi esset relatum. Itaque eò profectus est, in quo itinere futuras insidias evenire ei dixerant. sed elegit corporis staturâ simillimum sui, eíque vestitum suum dedit, atque, eo loco ire, quò ipse consueverat, jussit. ipse autem ornatus vestitu militari inter corporis custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postquàm in eum locum agmen pervênit, decepti ordine, atque vestitu in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. Ipse, ut concurrentes ins-

diatores animadvertit, tela in eos conjecit. hoc idem cùm universi feciſsĕt, priuſquàm pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi ceciderunt. Hic tamen tam callidus 10.
vir extremo tempore captus eſt Mithridatis Ariobarzanis filij dolo. namque is pollicitus eſt regi, ſe eum interfecturum, ſi ei rex promitteret, ut, quodcunque vellet, liceret impunè facere: fidémq; de ea re, more Perſarum, dextra dediſſet. hanc ut recepit à rege: copias parat, & abſens amicitiam cum Datame facit, regis prouinciam vexat, caſtella expugnat, magnas prædas capit: quarum partem ſuis diſpertit, partem ad Datamem mittit. pari modo complura caſtella ei tradit. Hæc diu faciendo perſuaſit homini, ſe infinitũ aduerſus regẽ ſuſcepiſſe bel-

lum, cùm nihilo magis, ne quam suspicionem illi præberet insidiarum, neque colloquium ejus petivit, neq; in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficijs mutuis, sed cõmuni odio, quod erga regem susceperant, continerí viderentur. Id cùm satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamem, tempus esse majores exercitus parari, & bellum cum rege suscipi, deque ea re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. Probata re colloquendi tempus sumitur, locúsque, quò conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, compluribúsque locis separatim gladios obruit, cáq; loca diligenter notat. ipso autem colloquendi die, utrique locum,

II.

qui explorarent, atq; ipsos scrutarentur, mittunt. Deinde ipsi sunt congressi. Hîc cùm aliquandiu in colloquio fuissent, & diversi discessissent, jámque procul Datames abesset: Mithridates priusquam ad suos perveniret, ne quam suspicionem páreret, in eundem locum revertitur, atque ibi, ubi telum erat impositum resedit, ut si lassitudine cuperet acquiescere: Datamémque revocavit, simulans se quiddam in colloquio esse oblîtum. interim telum, quod latebat, protulit: nudatúmque vagina veste texit, ac Datami venienti ait digredientem se animadvertisse, locum quemdam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum, quem cùm digito monstraret, & ille conspiceret, aversum ferro transfixit: priúsque, quàm quisquam

posset succurrere, interfecit. Ita ille vir, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

EPAMINONDAS.

1. EPaminondas Polymni filius, Thebanus. De hoc priusquàm scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, néve ea, quæ ipsis leviora sunt pari modo apud ceteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus abesse à principis persona: saltare etiam in vitiis poni. quæ omnia apud Græcos & grata & laude digna dicuntur. Cùm autẽ exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ velimus Epaminõdæ, nihil videmur debere prętermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dice-

mus primũ de genere ejus: deinde quib⁹ disciplinis, & à quibus sit eruditus: tum de moribus, ingeniiq; facultatibus, & si qua alia memoria digna erunt: postremò de rebus gestis, quæ à plurimis omnium anteponuntur virtutibus. Natus igitur patre, quo diximus, honesto genere, pauper jam à majoribus relictus. Eruditus autem sic ut nemo Thebanus magis. nam & citharizare, & cantare ad chordarum sonum doctus est à Dionysio: qui non minore fuit in musicis gloria, quàm Damon, aut Lampus, quorum pervulgata sunt nomina, carmina cantare tibiis ab Olympiodoro, saltare à Calliphrone. At Philosophiæ præceptorem habuit Lysiam Tarentinum, Pythagoreũ: cui quidẽ sic fuit deditus, ut adolescens tristẽ & severũ senem

omnibus æqualibus suis in familiaritate antepoſuerit, neque prius eum à ſe dimiſerit, quàm in doctrinis tanto anteceſſit cõdiſcipulos, ut facilè intelligi poſſet pari modo ſuperaturum omneis in ceteris artibus. Atque hæc ad noſtram conſuetudinem ſunt levia, & potius contemnenda: at in Græcia utiq; olim magnæ laudi erant. Poſtquàm ephebus factus eſt, & palæſtræ dare operam cœpit: non tam magnitudini virium ſervivit, quàm velocitati. illam enim ad athletarum uſum, hanc ad belli exiſtimabat utilitatem pertinere. Itaq; exercebatur plurimùm currendo & luctando ad eum finem, quoad ſtans complecti poſſet, atq; contendere. in armis verò plurimum ſtudij conſume-
3. bat. Ad hanc corporis firmitatẽ plura etiam animi bona acceſſe-
rant.

rant. erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo: adeò veritatis diligens, ut ne jocò quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiénsque admirandum in modum: non solùm populi, sed etiam amicorũ ferens injurias: imprimis commissa celans: quod interdum non minus prodest, quàm disertè dicere. Studiosus audiendi. ex hoc enim facillimè disci arbitrabatur. Itaq; cùm in circulum veniſſet, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius discessit, quàm ad finem sermo esset adductus. Paupertatem adeò facilè perpessus est, ut de republica nihil præter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit

facultatibus, fide ad alios sublevandos sæpe sic usus est, ut possit judicari omnia ei cum amicis fuisse communia nam cùm aut civium suorum aliquis ab hostibus fuisset captus, aut virgo amici nubilis quam propter paupertatē collocare non posset, amicorum concilium habebat, & quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat, eámque summam cùm fecerat, prius, quām acciperet pecuniā, adducebat eum, qui quærebat, ad eos, qui conferebant: eique ut ipsi numerarent, faciebat, ut ille, ad quem ea res perveniebat, sciret quantum cuíquē deberet. Tentata autem est ejus abstinentia à Diomedonte Cyziceno, namq; is rogatu Artaxerxis Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. hic magno cum pondere auri Thebas venit,

& Micythum adoleſcentulum quinque talentis ad ſuam perduxit voluntatem: quem tum Epaminondas plurimùm diligebat. Micythus Epaminondam convenit, & cauſam adventus Diomedontis oſtendit. At ille Diomedonte coràm, Nihil, inquit, opus pecunia eſt. nam ſi ea rex vult, quæ Thebanis ſint utilia, gratis facere ſum paratus, ſin autem contraria, non habet auri atque argenti ſatis. namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ caritate. Tuque me incognitum tentaſti, tuíque ſimilem exiſtimaſti, non miror, tibi ignoſco. ſed egredere properè, ne alios corrumpas, cùm me non potueris. I, tu Michyte, argentum huic redde, aut niſi id confeſtim facis, ego te tradam magiſtratui. Hunc Diomedon cùm rogaret,

ut tutò exiret, suáque, quæ attulisset, liceret efferre: istud, inquit, faciam, neque tua causa, sed mea: ne, si tibi sit pecunia ademta, aliquis dicat, id ad me ereptum perveniſſe, quod delatum accipere noluiſſem. à quo cùm quæsiſſet, quò se deduci vellet, & ille Athenas dixiſſet: præsidium dedit, ut eò tutò perveniret. neque verò id satis habuit, sed etiam ut inviolatus in navem ascenderet, per Chabriã Athenienſem, de quo suprà mentionem fecimus, effecit: abstinentiæ erit hoc satis testimoniũ. Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est: quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorũ complurium concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt.

Fuit & disertus, ut nemo ei Thebanus par esset eloquentiæ: neque minus concinnus in brevitate respondendi, quàm in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorẽ Meneclidem quendam, indidem Thebis, & adversarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet. namque illi genti plus inest virium, quàm ingenij. Is quòd in re militari florere Epaminondã videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius imperatoris opera desideraretur. huic ille, fallis, inquit, verbo civeis tuos, quòd hos à bello evocas. otij enim nomine servitutem concilias. nam paritur pax bello. itaq; qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. quare si principes Græciæ esse vultis, castris 5.

est vobis utendum, non palæstra. Idem ille Meneclides cùm huic objiceret, quòd liberos non haberet, neque uxorem duxisset, maximéque insolentiam, quòd sibi Agamemnonis bello, gloriam videretur consecutus: at ille, desine, inquit, Meneclida de uxore mihi exprobrare. nam nullius in ista re minus uti consilio volo. Habebat enim Meneclides suspicionem adulterij. Quòd autem me Agamemnonem æmulari putas, fálleris. namque ille cum universa Græcia vix decem annis unam cepit urbem: ego contrà ex una urbe nostra, diéque uno totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberavi. Idem cùm in con-
6. ventum veniisset Arcadum, petens ut societatem cum Thebanis & Argivis facerent: contráq; Callistratus Athenienſium lega-

tus, qui eloquentia omneis eo præstabat tempore, postularet, ut potius amicitiam sequerentur Atticorũ, & in oratione sua multa invectus esset in Thebanos & Argivos, in eísque hoc posuisset, animadvertere Arcadas, qualeis utráque civitas civeis procreasset, ex quibus de ceteris possent judicare; Argivos enim fuisse Orestem & Alcmæonem, matricidas: Thebis Oedipum natum, qui cùm patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasset. Huic in respondendo Epaminondas cùm de ceteris peroraſſet, postquàm ad illa duo opprobria pervênit: admirari se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverterit innocenteis illos natos, domi scelere admisso cùm patria essent pulsi, receptos esse ab Athenienſibus. Sed

maximè ejus eloquentia eluxit: Spartæ legati ante pugnã Leuctricam, quò cùm omnium sociorum conveniſſent legati, coràm frequentiſſimo legationum conventu, ſic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione opes eorum concuſſerit, quàm Leuctrica pugna. Tùm enim perfecit, quod pòſt apparuit, ut auxilio ſociorum Lacedæmonij
7. privarentur. Euiſſe patientem, ſuorúmq; injurias ferentem civium, quòd ſe patriæ iraſci nefas eſſe duceret, hæc ſunt teſtimonia. Cùm eum propter invidiam cives exercitui præficere noluiſſent, dúxque eſſet delectus belli imperitus, cujus errore eò eſſet deducta res illa militum, ut omnes de ſalute pertimeſcerent, quòd locorum anguſtiis clauſi ab hoſtibus obſidebantur: deſi-

derari cœpta est Epaminondæ diligentia. erat enim ibi privatus numero militis. à quo cùm peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ, & exercitum obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neque verò hoc semel fecit, sed sæpius: maximè autem fuit illustre, cùm in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedæmonios, haberétque collegas duos, quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. hi cùm criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent, ob eámque rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alij prætores successissent: Epaminondas plebiscito non paruit, idémque ut facerent, persuasit collegis, & bellũ, quod susceperat, gessit. namque animadvertebat, ubi id fe-

eisset, totum exercitum propter prætorum imprudentiam, insciámq; belli periturum: Lex etiam Thebis, quæ morte multabat, si quis imperium diutius retinuisset, quàm lege præfinitum foret. hanc Epaminondas cùm reipubl. conservandæ causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit, & quattuor mensibus diutius, quàm populus jusserat, gessit imperium. Postquàm domùm reditum est, collegæ ejus hoc crimine accusabantur. quibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent, suáque opera factum contenderent, ut legi non obedirent. qua defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quòd, quid diceret, non habe-
8 ret. At ille in judicium vênit: nihil eorum negavit, quæ adversa-

rij crimini dabant, omniáque, quæ collegæ dixerant, confessus est, neque recusavit, quo minus legis pœnam subiret: sed unum ab his petivit, ut in periculo suo inscriberent, *Epaminondas à Thebanis morte multatus est, quod eos coegit apud Leuctrã superare Lacedæmonios, quos ante se Imperatorem nemo Bœotiorũ ausus fuit aspicere. in acie quoq; uno prælio non solum Thebas ab interitu retraxit, sed etiã universam Græciam in libertatẽ vindicavit, eoq; res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartã oppugnarẽt, Lacedæmonij satis haberent, si salvi esse possent: neq; prius bellare destitit, quã Messene restituta urbẽ eorũ obsidione clausit.* Hæc cùm dixisset, risus omniũ cum hilaritate coortus est: neque quisquam judex ausus est de eo ferre suffragium. Sic à

judicio capitis maxima discessit
9. gloria. Hic extremo tempore imperator apud Mantinéã, cùm acie instructa audacius instaret hostibus, cognitus à Lacedæmoniis, quòd in unius pernicie, ejus patriæ sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt, neque prius abscesserunt, quàm magna cæde facta, multísque occisis, ipsum Epaminondam pugnantem sparo eminus percussum concidere viderunt. Hujus casu aliquantùm retardati sunt Bœotij: neque tamen prius pugna excesserunt, quàm repugnanteis profligarunt. At Epaminondas, cùm animadverteret, mortiferum se vulnus accepisse, simúlq;, si ferrum quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animã statim emissurum: usque eò retinuit, quoad renuntiatum est vicis-

viciſſe Bœotios. Id poſtquàm audivit: ſatis, inquit, vixi. invictus enim morior. Tum ferro extracto confeſtim exanimatus eſt. Hic uxorem numquam duxit. in quo cùm reprehenderetur, quòd liberos non relinqueret, à Pelopida, qui filium habebat infamem: maléque eum in eo patriæ conſulere diceret, vide, inquit, ne tu pejus conſulas, qui talem ex te natum relicturus ſis. neque verò ſtirps mihi poteſt deeſſe. namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modò mihi ſuperſtes, ſed etiam immortalis ſit neceſſe eſt. Quo tempore, duce Pelopida, exſules Thebas occuparunt, & præſidium Lacedæmoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quàm diu facta eſt cædes civiũ domo ſe tenuit, quòd neque malos defendere

volebat, neque impugnare, neque manus suorum sanguine cruentare. namque omnem civilem victoriam, funestam putabat. Idemque postquàm apud Achademiam pugnari cum Lacedæmoniis cœpit, in primis stetit. Hujus de virtutibus, vitáque satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, quod nemo eat infitias, Thebas & ante Epaminondam natum, & post ejusdem interitum, perpetuò alieno paruisse imperio: Contra ea, quam diu ille præfuerit reipublicæ caput fuisse totius Græciæ: ex quo intelligi potest unum hominem pluris, quàm civitatem fuisse.

PELOPIDAS.

PElopidas Thebanus magis historicis, quàm vulgo, notus: cujus de virtutibus dubito quemadmodum exponã, quòd vereor, ne, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere: si tantummodo summas attigero, ne rudibus litterarum Græcarum minus lucidè appareat, quantus fuerit ille vir. Itaque utrique rei occurram, quantum potero, & medebor cùm satietati, tum ignorantiæ lectorum. Phœbidas Lacedæmonius, cùm exercitum Olynthum duceret, itérque per Thebas faceret, arcem oppidi, quæ Cadméa nominatur, occupavit, impulsu paucorum Thebanorum, qui adversariæ factioni quo faci-

hus resisterent, Laconum rebus studebant: idque suo privato, non publico, fecit consilio. quo facto eum Lacedæmonij ab exercitu removerunt, pecuniáq; multarunt: neque eo magis arcem Thebanis reddiderũt, quòd susceptis inimicitiis satius ducebant eos obsideri, quàm liberari. nam post Peloponnesium bellum, Athenásque devictas, cum Thebanis sibi rem esse existimabant: & eos esse solos, qui adversus resistere auderent. Hac mente amicis suis summas potestates dederant, alteriúsq; factionis principes partim interfecerant, alios in exilium ejecerant. in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus patria carebat. Hi omnes fere Athenas se contulerant, non ut sequerentur otium, sed ut, quemque ex proximo

locũm fors obtuliſſet, eo patriã recuperare niterentur. Itaque cùm tempus eſt viſum rei gerendæ, communiter cum his, qui Thebis idem ſentiebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos, civitatémque liberandam, eum quo maximi magiſtratus ſimul conſueverant epulari. Magnæ ſæpe res non ita magnis copiis ſunt geſtæ: ſed profectò numquam ab tam tenui initio tantæ opes ſunt profligatæ. nam duodecim adoleſcentuli cojerunt ex iis, qui exilio erãt multati, cùm omninò non eſſent amplius centum, qui tanto ſe offerrent periculo. qua paucitate percuſſa eſt Lacedæmoniorum potentia. Hi enim non magis adverſariorum factioni, quàm Spartanis eo tempore bellum intulerunt: qui principes erant totius Græ-

eiæ, quorũ imperij majestas neque ita multo post Leuctricam pugnam ab hoc initio perculsa cecidit. Illi igitur duodecim, quorum dux erat Pelopidas, cùm Athenis interdiu exissent, ut vesperascente cœlo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerẽt iter, qui cùm tempore ipso, quo studuerant, perveniissent: domum Charonis devenerunt, à quo & tempus & 3. dies erat datus. Hoc loco libet interponere, etsi sejunctum à re propolita est, *Nimia fiducia quãta calamitati soleat esse*. nam magistratuũ Thebanorum statim ad aureis pervênit exules in urbem venisse. id illi vino, epulisque dediti usqueeò despexerunt, ut ne quærere quidem de tanta re laborarint, acces-

etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. Lata est enim epistola Athenis ab Archia hierophante Archiæ, qui tum maximum magistratum Thebis obtinebat: in qua omnia de profectione exsulum scripta erant. quæ cùm jam accubãti in convivio esset data, sicut erat signata, sub pulvinum subjiciens, in crastinum, inquit, differo res severas. At illi omnes, cùm jam nox processisset, vinolenti ab exsulibus duce Pelopida sunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgò ad arma, libertatémque vocato, non solùm qui in urbe erant, sed etiam undiq; ex agris concurrerunt, præsidium Lacedęmoniorũ ex arce pepulerunt, patriã obsidione liberarũt. auctores Cadméæ occupandæ partim occiderũt, partim in exilium ejecerũt. Hoc tam turbido

tempore (sicut suprà docuimus) Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est domi quietus fuit. Itaque hæc liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidæ, ceteræ ferè communes cum Epaminonda. namque Leuctrica pugna, imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectæ manus, quæ prima phalangem prostravit Laconum. omnibus præterea periculis affuit, sicut Spartam cùm oppugnavit, alterum tenuit cornu: quóq; Messena celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. denique hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondæ.

5. Conflictatus autem est cum adversa fortuna, nam & initio (sicut ostendimus) exul patria caruit: & cùm Thessaliam in Thebanorum potestatem cuperet

redigere legationíſque jure ſatis tectum ſe arbitraretur, quod apud omneis genteis ſanctum eſſe conſueſſet, tyranno Alexandro Pheræo ſimul cum Iſmenia comprehenſus, in vincula conjectus eſt. Hunc Epaminondas recuperavit bello perſequens Alexandrum. poſt id factum, numquam is animo placari potuit in eum, à quo erat violatus. Itaque perſuaſit Thebanis, ut ſubſidio Theſſaliæ proficiſcerentur, tyrannóſque ejus expellerent. Cujus belli cùm ei ſumma eſſet data, eóque cum exercitu profectus eſſet, non dubitavit, ſimulac conſpexit hoſtẽ, confligere. in quo prœlio Alexandrũ ut animadvertit, incenſus ira, equum in eum concitavit, procúlque digreſſus à ſuis, conjectu telorum confoſſus concidit. Atque hoc ſecun-

da victoria áccidit. nam jam inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto omnes Theſſaliæ civitates interfectum Pelopidam coronis aureis. & ſtatuis æneis, liberóſque ejus multo agro donarunt.

AGESILAUS.

AGeſilaus Lacedæmonius cũ à ceteris ſcriptoribus, tum eximiè à Xenophonte Socratico collaudatus eſt. eo enim uſus eſt familiariſſimè. Hic primùm de regno cum Leotychidè fratris filio habuit contentionem. Mos eſt enim à majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos habeant ſemper reges, nomine magis, quàm imperio, ex duabus familiis Procli & Euryſthenis, qui principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuerunt. horum ex altera in alterius fami-

liæ locum fieri non licebat. itaque uterque suum retinebat ordinem. Primùm ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis ejus, qui regnans decessisset, sin is virilem sexum non reliquisset, tum deligebatur, qui proximus esset propinquitate. mortuus erat Agis rex, frater Agesilai. filium reliquerat Leotychidem, quem ille natum non agnorat: eundem moriens suũ esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao patruo suo contendit: neque id quod petivit consecutus est. nam Lysandro suffragante, homine (ut ostendimus suprà) factioso, & his temporibus potente, Agesilaus antelatus est. Hic simulatq; imperij potitus est, persuasit Lacedæmoniis, ut exercitũ emitterẽt in Asiam, bellúmq; regi facerẽt, docens satius esse in Asia, quàm

in Europa dimicari, namque fama exierat, Artaxerxem comparare classes, pedestreisq; exercitus, quos in Græciam mitteret. Data potestate, tanta celeritate usus est, ut, prius in Asiam cum copiis pervenerit, quàm regij satrapæ eum scirent profectum. Quo factum est, ut omneis imparatos, imprudenteisque offenderet. Id ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter præfectos habebat regios, indutias à Lacone petivit, simulans se dare operam, ut Lacedæmoniis cum rege conveniret: re autem vera ad copias comparandas: cásque impetravit trimestreis. Juravit autem uterque se sine dolo indutias conservaturum: in qua pactione summa fide mansit Agesilaus: contra ea Tissaphernes nihil aliud, quàm bellum com-

comparavit. Id & si sentiebat Laco, tamen jusjurandum servabat, multúmque in eo consequi se dicebat, quòd Tissapher-nes perjurio suo & homines suis rebus abalienaret, & deos sibi iratos redderet: se autem conservata religione confirmare exercitum, cùm animadverteret deorum numen facere secum, hominésque sibi conciliari amiciores, quòd his studere consuessent, quos conservare fidem viderent. Postquàm indutiarum 3.
præteriit dies, barbarus non dubitans, quòd ipsius erant plurima domicilia in Caria, & ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eò potissimùm hostes impetum facturos: omneis suas copias eò contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se convertit, eámque prius depopulatus est, quàm Tissapher-

nes usquam se moveret. Magna præda militibus locupletatis Ephesum hiematum exercitũ reduxit, atq; ibi officinis armorũ institutis, magna industria bellum apparavit: & quo studiosius armarentur, insigniúsq; ornarentur, præmia proposuit, quibus donarentur, quorũ egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationũ generibus, ut qui ceteris præstitisset, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut & ornatissimum & exercitatissimum haberet exercitum. Huic cùm tempus esset visum copias extrahere ex hibernaculis: vidit, si, quò esset iter facturus, palàm pronuntiasset, hosteis non credituros, aliásq; regiones occupaturos, nec dubitaturos aliud esse facturum, ac pronuntiasset. Itaq; cùm ille Sardis iturum se

dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putavit. In quo cùm cum opinio fefellisset, victúmque se vidisset consilio: serò suis præsidio profectus est. nam cùm illò veniset, jam Agesilaus multis locis expugnatis magna erat præda potitus. Laco autem, cùm videret hosteis equitatu superare, numquam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conserunt, quibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo quotiescumq; congressus est, multo majores adversariorum copias, & sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur. Hic cùm animo meditaretur proficisci in Persas, & ipsum regem adoriri, nuntius ei domo vênit Ephorûm jussu, bellum Athenienseis & Bœotios indixisse Lace-

demoniis: quare venire non dubitaret. In hoc non minus ejus pietas suspicienda est, quàm virtus bellica: qui cùm victori præesset exercitui, maximámq; haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartæ. Cujus exemplum utinam imperatores nostri sequi voluissent. sed illuc redeamus. Agesilaus opulentissimo regno præposuit bonam existimationem, multóque gloriosius duxit, si institutis patriæ paruisset, quàm si bello superasset Asiam. Hac igitur mente Hellespontum copias trajecit, tantáque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus. Cùm jam haud ita longè abesset à Pelo-

ponneſo, obſiſtere ei conati ſunt Athenienſes, & Bœotij, ceteríque eorum ſocij, apud Coronéam: quos omneis gravi prœlio vicit. Hujus victoriæ vel maxima fuit laus, quòd, cùm plerique ex fuga ſe in templum Minervæ conjeciſſent, quærere-túrque ab eo, quid his vellet fieri, etſi aliquot vulnera acceperat eo prœlio, & iratus videbatur omnibus, qui adverſus arma tulerant, tamen antetulit iræ religionẽ, & eos vetuit violari. Neque verò hoc ſolùm in Græcia fecit, ut templa deorum ſancta haberet: ſed etiam apud barbaros ſumma religione omnia ſimulacra, arásque conſervavit. Itaq; prædicabat, mirari ſe non ſacrilegorum numero haberi, qui ſupplicibus eorum nocuiſſent: aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem mi-

nuerent quam qui fana spoliarent. Post hoc prœlium, collatum est omne bellum circa Corinthum: ideóque Corinthium est appellatum. Hic cùm una pugna decem millia hostium, Agesilao duce cecidissent: eóque facto opes adversariorum debilitatæ viderentur: tantùm afuit ab insolentia gloriæ, ut commiseratus sit fortunam Græciæ, quòd tam multi à se victi vitio adversariorum concidissent, namque illa multitudine, si sana mens esset, Græciæ supplicium Persas dare potuisse. Idem cùm adversarios intra mœnia compulisset, & ut Corinthum oppugnaret, multi hortarentur: negavit id suæ virtuti convenire. se enim eum esse dixit, qui ad officium peccanteis redire cogeret, non qui urbeis nobilissimas expugnaret

Græciæ. nam, si, inquit, eos extinguere voluerimus, qui nobiscum adversus barbaros steterũt, nosmet ipsi nos expugnaverimus, illis quiescentibus. quo facto sine negotio, cùm voluerint, nos oppriment. Interim accidit illa calamitas apud Leuctram Lacedæmoniis, quò ne proficiscerentur, cùm à plerisq; ad exeundum premeretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem cùm Epaminondas Spartam oppugnaret, essétque sine muris oppidum, talem se imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. In quo quidem discrimine celeritas ejus consilij saluti fuit universis. nam cùm quidam adolescentuli hostium adventu perterriti ad Thebanos transfugere vellent,

& locum extra urbem editũ cepissent: Agesilaus, qui perniciosissimũ fore videret, si animadversum esset, quemquam ad hosteis transfugere conari, cum suis eò vênit, atque, ut si bono animo feciſſent, laudavit consilium eorum, quòd eum locum occupassent: & se, id quoq; fieri debere, animadvertisse. Sic adulescentulos simulata laudatione recuperavit, & adjunctis de suis comitibus, locũm tutum reliquit. namque illi aucto numero eorum, qui expertes erant consilij, commovere se non sunt ausi, eóque libentius, quòd latêre arbitrabantur, quæ cogitaverunt. Sine dubio pòst
7 Leuctricam pugnam Lacedæmonij se numquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperarunt: cùm interim Agesilaus non desitit, quibuscunq;

rebus posset patriã juvare. nam cùm præcipuè Lacedæmonij indigerent pecunia: ille omnibus, qui à rege defecerant, præsidio fuit, à quibus magna donatus pecunia, patriam sublevavit. Atque in hoc illud in primis fuit admirabile, cùm maxima munera ei ab regibus, & dynastis, civitatibúsq; conferrentur, quod nihil umquam in domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor majorum suorum fuerat usus: quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat: contrà ea plurima patientiæ, atque abstinentiæ. Sic enim erat instructa, ut nulla in re differret à cujusvis inopis atq; privati. Atq; hic tantus vir ut naturam fautricem habue-

rat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore exiguo, & claudus altero pede. Quæ res etiam nonnullam afferebat deformitatem: atque ignoti faciem ejus cùm intuerentur, contemnebant. qui autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. Quod ei usu venit, cùm annorum octoginta subsidio Thaco in Ægyptum iviſſet, & in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto: stratúmque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis: neque huc amplius, quàm pellis esset injecta, eodémque comites omnes accubuissent, vestitu humili, atque obsoleto, ut eorum ornatus non modò in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Hujus de adventu

fama cùm ad regios esset perlata, celeriter munera eò cujusque generis sunt allata. His quærentibus Agesilaum vix fides facta est unum esse ex iis, qui tum accubabant. Qui cùm regis verbis, quæ attulerant, dedissent, ille præter vitulina, & hujusmodi genera opsonij, quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit. unguenta, coronas, secundámque mensam servis dispertiit, cetera referri jussit. Quo facto eum barbari magis etiam contemserunt, quòd eum ignorantia bonarum rerum illa potissimùm sumsisse arbitrabantur. Hic cùm ex Ægypto reverteretur, donatus à rege Nectanabe ducentis viginti talentis, quæ Ille muneri populo suo daret: venissétq; in portum, qui Menelai vocatur, jacens inter Grenas & Ægyptũ

in morbum implicitus decessit, ibi eum amici, quo Spartam facilius perferre possent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt: atque ita domum retulerunt.

EVMENES.

1. EVmenes Cardianus. Hujus si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem major, sed multo illustrior, atque etiam honoratior, quòd magnos homines virtute metimur, non fortuna. Nam cùm ætas ejus incidisset in ea tempora, quibus Macedones florerent, multum detraxit inter eos viventi, quòd alienę erat civitatis, neq; aliud huic defuit, quàm generosa stirps. Etsi enim ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi

poni indignè ferebant: neque tamen non patiebantur. vincebat enim omneis cura, vigilantia, patientia, calliditate, & celeritate ingenij. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filij: brevíque tempore in intimam pervênit familiaritatem. Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaque eum habuit ad manũ scribæ loco: quod multo apud Grajos honorificentius est, quàm apud Romanos. namque apud nos re vera, sicut sunt, mercenarij scribæ existimantur. at apud illos è contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, fide, & industria cognita, quòd necesse est omnium consiliorũ eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. illo inter-

fecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Novissimo tempore præfuit etiam alteri equitum alæ, quæ hetærice appellabatur. Utriq; autem & in consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est
2. particeps. Alexandro Babylone mortuo cùm regna singulis familiaribus dispartirentur, & summa rerũ tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccæ, ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commisisse vel commendasse, quoad liberi ejus in suam tutelam perveniissent: aberant enim Craterus & Antipater, qui antecedere hunc videbantur: mortuus erat Hephæstio, quem unum Alexander, quod facile intelligi posset, plurimi fecerat: Hoc tempore data est Eumeni Cap-

padocia, sive potius dicta. nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, quòd in homine fidem & industriam magnam videbat, non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. cogitabat enim quod ferè omnes in magnis imperiis concupiscunt, omnium parteis corripere, atq; complecti. Neque verò hoc ille solus fecit, sed ceteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare prædestinavit. Is multis, magníq; pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Cùm perducere eum non posset, interficere conatus est: & fecisset, nisi ille clam noctu ex præsidiis ejus effu

3. giſſet. Interim conflata ſunt illa bella, quæ ad internecionē poſt Alexandri mortem geſta ſunt, omnéſq; concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. quem & ſi infirmum videbat, quod unus omnibus reſiſtere cogebatur, tamen amicum non deſeruit, neque ſalutis, quàm fidei, fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Aſiæ, quæ inter Taurum montem jacet, atque Helleſpontum: & illum unum oppoſuerat Europæis adverſariis. Ipſe Ægyptum oppugnatum adverſus Ptolemæum erat profectus. Eumenes cùm neque magnas copias, neque firmas haberet, quòd & inexcercitatæ, & non multo antè erant contractæ, adventare autem dicerentur, Helleſpontúmque tranſiſſe Antipater & Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri

cum celeritate, tum usu belli præstantes: Macedones verò milites ea tum erāt fama, qua nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam imperij potirentur. Eumenes intelligebat, si copiæ suæ cognoscerēt, adversus quos ducerentur, non modò non iturās, sed simul cum nuntio dilapsuras. Itaq; hoc ejus fuit prudentissimum consilium, ut deviis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent: & his persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. Itaque tenuit hoc propositūm, & prius in aciem exercitū eduxit, prœliúmque commisit, quàm milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quàm

peditatu, quo erat deterior.
4. Quorum acerrimo concursu cùm magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus dux, & Neoptolemus, qui secundum locum imperij tenebat. cum hoc concurrit ipse Eumenes. qui cùm inter se complexi in terram ex equis decidissent, ut facilè intelligi posset inimica mente contendisse, animóque magis etiam pugnasse, quàm corpore: non prius distracti sunt, quàm alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur, neque eo magis ex prœlio excessit, sed acrius hostibus institit. Hîc equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis prætereà & maximè nobilibus captis, pedestris exercitus, quòd in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pa-

cem ab eo petit. quam cùm impetrasset, in fide non mansit, & se, simulac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum ex acie semivivum elatum recreare studuit. cùm id non posset, pro hominis dignitate, próque pristina amicitia (namque illo usus erat, Alexandro vivo, familiariter) amplo funere extulit, ossáque in Macedoniam uxori ejus, ac liberis remisit. Hæc dum apud Hellespontum gerúntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur à Seleuco & Antigono: rerúmque summa ad Antipatrum defertur. Hîc, qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur, in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administravit, sed exules

5.

res animi magnitudinem, & si non frangebant, tamen immi-nuebant. Hunc persequens Antigonus, cùm omni genere copiarum abundaret, sæpe in itineribus vexabatur: neque umquam ad manum accedere licebat, nisi in his locis, quibus pauci possent multis resistere. Sed extremo tempore cùm consilio capi non posset, multitudine circumventus est. hinc tamen multis suis amissis se expedivit, & in castellum Phrygiæ, quod Nora appellatur, confugit. In quo cùm circumsederetur, & vereretur, ne uno loco manens equos militareis perderet, quòd spatium non esset agitandi: callidũ fuit ejus inventum, quemadmodum stans jumentum concalefieri, exerceríq; posset, quo libentius & cibo uteretur, & à corporis motu non removere-

tur. Substringebat caput loro altius, quàm ut prioribus pedibus planè terram posset attingere: deinde posterioribus cogebat exsultare, & calceis remittere. qui motus non minus sudorem excutiebat, quàm si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, ut æquè jumenta nitida ex castello educeret, cùm complureis menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset. Quotiescunque voluit & apparatum & munitiones Antigoni alias incendit, alias disjecit. Tenuit autem se uno loco, quàm diu fuit hiems, quòd castra sub divo habere nō poterat. ver appropinquabat: simulata deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit: séque, ac suos omneis extraxit incolumeis. Ad

huno Olympias, mater quæ fuerat Alexandri, cùm litteras & nuntios misisset in Asiam consultũ, utrùm repetitũ in Macedoniam veniret (nam tum in Epiro habitabat) & eas res occuparet: huic ille primùm suasit, ne se moveret, & exspectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisceretur, sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, oblivisceretur omnium injuriarũ, & in neminem acerbiore uteretur imperio. Horum nihil ea fecit. nam & in Macedoniam profecta est, & ibi crudelissimè se gessit. Petiit autem ab Eumene absente, ne pateretur, Philippi domus ac familiæ inimicissimos stirpem quoq; interimere, ferrétq; opem liberis Alexandri. quam veniam si sibi daret, quàm primùm exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. id quo

facilius faceret, se omnibus præfectis, qui in officio manebant, misisse litteras, ut ei parérent, ejúsq; consiliis uterentur. His rebus Eumenes permotus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire benemeritis referentem gratiam, quàm ingratum vivere. Itaque copias contraxit, 7.
bellum adversus Antigonum comparávit. Quòd unà erant Macedones complures nobiles, in his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem: & Antigonus, cujus sub imperio phalanx erat Macedonum: invidiam verens (quam tamen effugere non potuit) si potius ipse alienigena summi imperij potiretur, quàm alij Macedonum, quorum ibi erat multitudo: in principiis Alexandri nomine statuit

tabernaculum, in eóque sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni, eóque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur, credens minore se invidia fore, si specie imperij, nominisque simulatione Alexandri, bellū videretur administrare. quod & fecit. nam cùm non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur, atq; ibi de rebus deliberaretur, quodammodo latebat, cùm tamen per eum unū
8. gererentur omnia. Hic in Paræ-tacis cum Antigono conflixit, non acie instructa, sed in itinere, cúmque malè acceptum in Mediam hiematum coëgit redire. ipse in finitima regione Persidis hiematum copias divisit, non ut voluit, sed militum ut cogebat voluntas. namque illa phalanx Alexandri Magni, quæ

Asiam

Asiam peragrarat, devicerátque Persas, inveterata cùm gloria, tum etiam licentia, non parêre se ducibus, sed imperare postulabat: ut nunc veterani faciunt nostri. itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt sua intemperantia, nimiáque licentia, ut omnia perdant, neq; minus eos cum quibus steterint, quàm adversus quos fecerint. Quòd si quis illorum veteranorum legat facta, paria horũ cognoscat: neque rem ullam, nisi tempus, interesse judicet. Sed ad illos revertar. Hiberna sumserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam: longéq; inter se discesserant. Hoc Antigonus cùm comperisset, intelligerétque se parem non esse paratis adversariis, statuit aliquid sibi consilij novi esse capiendum. Duæ erant viæ, quà ex Medis,

ubi ille hiemabat, ad adversa-
riorum hibernacula posset per-
veniri. quarum brevior per loca
deserta, quæ nemo incolebat
propter aquæ inopiam, ceterum
dierum erat ferè decem. illa au-
tem, quà omnes commeabant,
altero tanto longiorem habe-
bat amfractum, sed erat copio-
sa, omniúmq; rerum abundans.
hac si proficisceretur, intellige-
bat prius adversarios rescituros
de suo adventu, quàm ille ter-
tiam partem confeciſſet itine-
ris. sin per loca sola contende-
ret, sperabat se imprudentem
hostem oppressurum. Ad hanc
rem conficiendam imperavit
quàm plurimos utres, atq; etiã
culleos comparari: post hæc
pabulum: præterea cibaria co-
cta decem dierum: utq; quàm-
minimè fieret ignis in castris,
iter, quod habebat, omneis ce-

lat. Sic paratus, quà constituerat, proficiscitur. Dimidium ferè spatium confecerat, cùm ex fumo castrorum ejus, suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. conveniunt duces: quæritur quid opus sit facto. intelligebant omnes, tam celeriter copias ipsorũ contrahi non posse, quàm Antigonus assuturus videbatur. Hîc omnib⁹ titubantibus, & de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, & imperata facere. quod antè non fecerint, se rem expediturum, nam quod diebus quinq; hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spatio retardaretur. quare circumirent, suásque quisque contraheret copias. Ad Antigoni autem refrenandum impetum tale capit consilium. Certos mittit

homines ad infimos monteis, qui obvij erant itineri adversariorum: hisque præcepit, ut prima nocte quàm latissimè possint igneis faciant quàm maximos: atq; hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant, & assimulata castrorum consuetudine suspicionem injiciant hostibus, his locis esse castra, ac de eorum adventu esse prænuntiatum: idémque postera nocte faciant. quibus imperatũ erat, diligenter præceptum curant. Antigonus tenebris obortis igneis conspicatur: credit de suo adventu esse auditum, & adversarios illuc suas contraxisse copias. mutat consilium, & quoniam imprudentem adoriri non posset, flectit iter suum, & illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit, ibíq; diem unum opperitur ad lassitudinem sedandã

militum, ac reficienda jumenta quo integriore exercitu decerneret. Hic Eumenes callidum 80.
imperatorem vicit consilio, celeritatémq; impedivit ejus, neq; tamen multùm profecit. nam invidia ducum, cum quibus erat, perfidiáq; Macedonum veteranorum, cùm superior prœlio discessisset, Antigono est deditus, cùm exercitus ei ter antè separatis temporibus juravisset, se eum defensurum, nec umquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quàm eum non perdere. Atque hunc Antigonus, cùm ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum, quòd ab nullo se plus adjuvari posse intelligebat in iis rebus, quas impendêre jam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Ly-

simachus, Ptolemæus, opibus jam valentes: cum quibus ei de summis rebus erat dimicandū. sed non passi sunt ij, qui circa erant, quòd videbant, Eumene recepto, omneis præ illo parvi futuros. ipse autem Antigonus adeò erat incensus, ut nisi magna spe maximarum rerum, leniri non posset. Itaq; cùm eum in custodiam dedisset, & præfectus custodum quæsisset, quemadmodum servari vellet: ut acerrimum, inquit, leonem, aut ut ferociſſimum elephantum. nondum enim statuerat, conservaret eum, nécne. Veniebat autem ad Eumenem utrumque genus hominum, & qui propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent, & qui propter veterem amicitiam colloqui, consolarique cuperent. multi etiam, qui ejus formam

cognoscere studebant, qualis esset, quem tam diu, támq; valde timuissent: cujus in pernicie positam spem habuissent victoriæ. At Eumenes, cùm diutius in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperij erat custodiæ, se mirari, quare jam tertium diem sic teneretur. non enim hoc convenire Antigoni prudentiæ, ut sic deuteretur victo, quin aut interfici, aut missum fieri juberet. Hic cũ ferocius Onomarcho loqui videretur, quid? tu, inquit, animo si isto eras, cur non in prœlio cecidisti potius, quam in potestatem inimici venires? Huic Eumenes, utinam quidem istud eveniisset, inquit: sed eò non accidit, quòd numquam cum fortiore lum congressus. non enim cum quoquã arma contuli, quin is mihi succubuerit, non n. vir-

tute hostium, sed amicorũ perfidia, décidi. Neque id falsum, nam & dignitate fuit honesta, & viribus ad laborem ferendũ fumus. neque tam magno corpore, quàm figura venusta. De hoc Antigonus cùm solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hic cùm omnes primò perturbati admirarẽtur, non jam de eo sumtum esse supplicium, à quo tot annos adeò essent malè habiti, ut sæpe ad desperationem forent adducti: quíque maximos duces interfecisset: denique in quo uno esset tantum, ut, quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent: interfecto nihil habituri negotij essent: postremò, si illi redderet salutem, quærebant, quibus amicis esset usurus. sese enim cum Eumene apud eum non futuros. Hîc cognita consilij ve-

luntate, tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. tum autem cùm jam vereretur, ne qua seditio exercitus oriretur, vetuit ad eũ quemquam admitti, & quotidianum victum amoveri jussit. nam negabat, se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. Hic tamen non amplius, quàm triduum, fame fatigatus, cùm castra moverentur, insciente Antigono jugulatus est à custodibus. Sic Eumenes annorum quinque & quadraginta, cùm ab anno vicesimo (ut suprà ostendimus) septem annos Philippo apparuisset, tredecim apud Alexandrum eundem locũ obtinuisset, in his uni equitũ alæ præfuisset, post autem Alexandri Magni mortem imperator exercitus duxisset, summósque duces partim repulisset, par- 13.

tim interfeciſſet : captus non Antigoni virtute, ſed Macedonum perjurio, talem habuit exitum vitæ. In quo quanta fuerit omnium hominum opinio eorũ, qui poſt Alexandrum Magnum reges ſunt appellati, ex hoc facillimè poteſt judicari, quòd nemo Eumene vivo rex appellatus eſt, ſed præfectus. iidem poſt hujus occaſum, ſtatim regium ornatum, noménq; ſumſerunt: neque, quod initio prædicarant, ſe Alexandri liberis regnum ſervare, præſtare voluerunt, & uno propugnatore ſublato, quid ſentirent, aperuerunt. Hujus ſceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, Lyſimachus, Caſſander. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus ſepeliendũ tradidit : hi militari, honeſtóq; funere, comitante toto exercitu,

humaverunt, ossáque ejus in Cappadociam ad matrem, atq; uxorem, liberósque ejus deportanda curarunt.

PHOCIO.

PHocion Athenienſis etſi ſæpe exercitibus præfuit, ſummósque magiſtratus cepit, tamen multo ejus notior integritas vitæ, quàm rei militaris labor. Itaque hujus memoria eſt nulla, illius autem magna fama: ex quo, cognomine Bonus eſt appellatus. Fuit enim perpetuò pauper, cùm divitiſſimus eſſe poſſet, propter frequenteis delatos honores, poteſtatéſque ſummas, quæ ei à populo dabantur. Hic cùm à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatíque hortarentur accipere, ſimúlque

admonerent, si ipse his facilè ca-
reret, liberis tamen suis prospi-
ceret, quibus difficile esset in
summa paupertate tantam pa-
ternam tueri gloriam: his ille, si
mei similes erunt, idem hic, in-
quit, agellus illos alet, qui me
ad hanc dignitatem perduxit:
sin dissimiles sunt futuri: nolo
meis impensis illorum alimen-
ríq; luxuriam. Idem cùm pro-
pè ad annum octogesimum pro-
spera pervenisset fortuna, extre-
mis temporibus magnum in o-
dium pervénit suorum civium.
Primò cùm Demade de urbe
tradenda Antipatro, consense-
rat: ejúsq; consilio Demosthe-
nes cum ceteris, qui benè de re-
publica meriti existimabantur,
plebescito in exilium erant ex-
pulsi. Neq; in eo solùm offende-
rat, quòd patriæ malè consule-
rat, sed etiam quòd amicitiæ fi-

dem

dem non præstiterat. namq; auctus, adjutúsq; à Demosthene, eum, quem tenebat, ascenderat gradum, cùm adversus Charetem cum subornaret, ab eodem in inducijs, cùm capitis causam diceret, defensus, aliquoties liberatus discesserat. hunc non solùm in periculis non defendit, sed etiam prodidit. Concidit autem maximè uno crimine, quia cùm apud eum summum esset imperium populi, & Nicanorem Cassandri præfectum insidiari Piræo Athenienſium à Dercyllo moneretur: eidémq; postularet, ut provideret, ne cõmeatib⁹ civitas privaretur huic audiente populo, Phocion negavit esse periculum; séq; ejus rei obsidem fore pollicitus est. neqüe ita multo pòst Nicanor Piræo est potitus. ad quem recuperandũ cùm populus arma-

tus concurrisset: Ille non modò neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem præesse voluit: sine quo Athenæ omninò esse non possunt. Erant eo tempore Athenis duæ factiones: quarum una populi causam agebat, altera optimatum. in hac erat Phocion, & Demetrius Phalereus. harum utraque Macedonum patrociniis nitebatur. nam populares Polyperchonti favebant: optimates cum Cassandro sentiebant. Interim à Polyperchonte Cassander Macedonia pulsus est: quo facto populus superior fact⁹, statim duces adversariæ factionis capitis damnatos patria propulit: in his Phocionem & Demetrium Phalereum: deque ea re legatos ad Polyperchontē misit, qui ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. Hoc eodem profectus est

Phocion quò ut venit, causam apud Philippum regem verbo, re ipsa quidem apud Polyperchontem, jussus est dicere. namque is tum regis rebus præerat. Hic cùm ab Agnone accusatus, quòd Piræeum Nicanori prodidisset: ex consimili sententia in custodiam conjectus, Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret judicium. Huc perventum est, cùm propter ætatem pedibus jam non valeret, vehiculóq; portaretur: magni concursus sunt facti: cùm alij reminiscentes veteris famæ, ætatis misererentur. plurimi verò ira exacuerentur propter proditionis suspicionem Piræei: maximéque quòd adversus populi commoda in senectute steterat. Qua de re ne perorandi quidem ei data est facultas, & dicendi causam. Inde judicio legiti-

mis quibusdam confectis damnatus, traditus est undecim viris, quibus ad supplicium more Athenienſium publicè damnati tradi solent. Hic cùm ad mortem duceretur, obvius ei fuit Emphyleus, quo familiariter fuerat usus. Is cùm lacrymans dixisset, ô quàm indigna perpeteris Phocion: huic ille, at non inopinata, inquit. hunc enim exitum plerique clari viri habuerũt Athenienses. In hoc tàntùm fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber sepelire. Itaque à servis sepultus est.

TIMOLEON.

1. TImoleon Corinthius, sine dubio magnus omnium judicio hic vir exstitit. namque huic uni contigit, quod nescio

an nulli, ut & patriam, in qua erat natus, oppressam à tyranno liberaret, & à Syracusis, quibus auxilio erat missus, jam inveteratam servitutem depelleret: totámque Siciliam multos annos bello vexatam, à barbarísque oppressam, suo adventu in pristinum restitueret. Sed in his rebus non simplici fortuna conflictatus est, & id quod difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam, quàm adversam fortunam. Nam cùm frater ejus Timophanes, dux à Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particépsque regni posset esse: tantum afuit à societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti: & patriæ legibus obtemperare satius duxerit, quàm imperare patriæ. Hac mente

per haruſpicem, communémque affinem, cui ſoror ex eiſdem parentibus nata nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curavit. Ipſe non modò manus non attulit, ſed ne aſpicere quidem fraternum ſanguinem voluit. nam, dum res conficeretur, procul in præſidio fuit, ne quis ſatelles poſſet ſuccurrere. Hoc præclariſſimum ejus facinus non pari modo probatum eſt ab omnibus. nonnulli enim læſam ab eo pietatem putabant, & invidia laudem virtutis obterebant. Mater verò poſt id factum neque domum ad ſe filium admiſit neque aſpexit, quin cum fratricidam, impiúmq; deteſtans compellaret. Quibus rebus adeò ille eſt commotus, ut nonnúmquam vitæ finem facere voluerit, atque ex ingratorum homi-

rum conspectu morte decede-
re. Interim Dione Syracusis in- 2
terfecto, Dionysius rursus Sy-
racusarum potitus est: cujus
adversarij opem à Corinthiis
petiverunt: ducémque, quo
in bello uterentur, postula-
runt. Huc Timoleon missus
incredibili felicitate Diony-
sium tota Sicilia depulit. cùm
interficere posset, noluit: tu-
tõque ut Corinthum perveni-
ret, effecit, quòd utrorúmque
Dionysiorum opibus Corin-
thij sæpe adjuti fuerant, cu-
jus benignitatis memoriam
volebat exstare: eámque præ-
claram victoriam ducebat, in
qua plus esset clementiæ, quàm
crudelitatis: postremò, ut non
solùm auribus acciperetur,
sed etiam oculis cerneretur,
quem, & ex quanto regno
ad quam fortunam detulisset.

Post Dionysij decessum cum Hecata bellavit, qui adversatus fuerat Dionysio. quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quòd ipse expulso Dionysio imperiũ dimittere noluit. Hoc superato Timoleon maximas copias Karthaginensium apud Chyniſſum flumen fugavit, ac satis habere coëgit, si liceret Aphricam obtinere, qui jam complureis annos possessionem Siciliæ tenebant. Cepit etiam Mamercum, Italicum ducem, hominem bellicosum & potentem, qui tyrannos adjutum in Siciliam venerat.

3 Quibus rebus confectis cùm propter diuturnitatem belli non solùm regiones, sed etiam urbeis desertas videret, conquisivit, quos potuit primùm Siculos. deinde Corintho arcessivit colonos, quòd ab his initiò Sy-

racusæ erant cónditæ. Civibus veteribus sua restituit, novis bello vacuefactas possessiones divisit: urbium mœnia disjecta, fanáque deserta refecit: civitatibus leges, libertatémque reddidit, ex maximo bello tantum otium toti insulæ conciavit, ut hic conditor urbium earum, non illi qui initiò deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, quam muniverat Dionysius ad urbem obsidendam, à fundamentis disjecit: cetera tyrannidis propugnacula demolitus est, dedítque operam, ut quàm minimè multa vestigia servitutis manerent. Cùm tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantum autem amorem haberet omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret. maluit se diligi, quàm metui. Itaque, cùm pri-

mùm potuit, imperium depo-
fuit, ac privatus Syracusis quod
reliquum vitæ fuit, vixit. ne-
que verò id imperitè fecit. nam
quod ceteri reges imperio po-
tuerũt, hic benivolentia tenuit.
nullius honos huic defuit: neq;
postea Syracusis res ulla gesta
est publica, de qua prius sit de-
cretum, quàm Timoleontis sen-
tentia cognita. nullius umquã
consilium non modò antelatũ,
sed ne comparatum quidem est.
neque id magis benivolentia
factum est, quàm prudentia.

4. Hic cùm ætate jam provectus
esset, sine ullo morbo lumina
oculorum amisit. quam cala-
mitatem ita moderatè tulit, ut
neque eum querentem quis-
quam audierit, neque eo minus
privatis, publicísque rebus in-
terfuerit. veniebat autem in
theatrum, cùm ibi concilium

populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis, atque ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat: neque hoc illi quisquam tribuebat superbiæ. nihil enim umquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit, qui quidem cùm suas laudes audiret prædicari, numquam aliud dixit, quàm se in ea re maximas diis agere gratias, atque habere, quòd cùm Siciliam recreare constituissent, tùm se potissimùm ducem esse voluissent: nihil enim rerum humanarum sine deorum numine geri putabat. Itaque suæ domi sacellum Αὐτομάτου constituerat, ídque sanctissimè colebat. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserant casus. Nam prœlia maxima natali suo die fecit omnia: quo factum est,

ut ejus diem natalem festum haberet universa Sicilia. Huic quidam Lamestius, homo petulans, & ingratus vadimonium cùm vellet imponere, quòd cùm illo se lege agere diceret, & complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur: Timoleon oravit omneis, ne id facerent. namq; id ut Lamestio, ceteríſq; liceret, se maximos labores, summáq; adiisse pericula hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret. Idem, cùm quidam Lamestij similis, nomine Demænetus, in concione populi de rebus gestis ejus detrahere cæpisset, ac nonnulla in Timoleonta dixit, nunc demũ se voti esse damnatũ. namq; hæc à diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem

resti-

restituerent Syracusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, impunè dicere. Hic cum diem supremum obiisset, publicè à Syracusanis in gymnasio, quod Timoleontium appellatur, tota celebrante Sicilia, sepultus est. Hi fere fuerunt Græciæ gentis duces, qui memoria digni videantur, præter reges. namq; eos attingere noluimus, quòd omnium res gestæ separatim sunt relatæ. neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedæmonius autem Agesilaus nomine, non potestate fuit rex, sicut ceteri Spartani. Ex his verò, qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt (ut nos judicamus) Persarum Cyrus, & Darius, Histaspis filius quorum uterque privatus, virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in præ-

lio cecidit. Darius senectute diem obiit supremum. Tres sunt præterea ejusdem generis, Xerxes, & duo Artaxerxes, Macrochir quoque, & Mennon. Xerxi maximè est illustre, quòd maximis post hominum memoriam exercitibus, terra mariq; bellum intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem ampliſſimæ, pulcherrimæque corporis formæ: quam incredibili ornavit virtute belli. namque illo Persarum nemo fuit manu fortior. Mennon autem justitiæ fama floruit. nam cum matris suæ scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine morbo naturæ debitum reddiderunt: tertius ab Artabano præfecto ferro interfectus est. Ex Macedonum au-

tem gente duo multo ceteros anteceſſerunt rerum geſtarum gloria, Philippus Amyntæ filius, & Alexander Magnus. horum alter Babylone morbo conſumtus eſt. Philippus Ægis à Pauſania, cùm ſpectatum ludos iret, juxta theatrum occiſus eſt. Unus Epirotes Pyrrhus, qui cum P. R. bellavit. is cùm Argos oppidum oppugnaret in Peloponneſo, lapide ictus interiit. Unus item Siculus Dionyſius prior. nam & manu fortis, & belli peritus fuit, &, id quod in tyranno non facilè reperitur, minimè libidinoſus, non luxurioſus, non avarus, nullius rei denique cupidus, niſi ſingularis, perpetuíque imperij, ob eámq; rem crudelis. nam dum id ſtuduit munire, nullius pepercit vitæ, quem, ejus inſidiatorẽ pu-

taret. Hic cùm virtute tyranni-
dem ſibi peperiſſet, magna reti-
nuit felicitate, majórque enim
annos ſexaginta natus deceſſit
florente regno. neque in tam
multis annis cujuſquam ex ſua
ſtirpe funus vidit, cùm ex tri-
bus uxoribus liberos procreaſ-
ſet, multíque ei nati eſſent ne-
3. potes. Fuerunt præterea magni
reges ex amicis Alexandri Ma-
gni, qui poſt obitum ejus impe-
ria ceperunt. in his Antigonus,
& hujus filius Demetrius, Ly-
ſimachus, Seleucus, Ptolemæ-
us. Ex his Antigonus cùm ad-
verſus Seleucum, & Lyſima-
chum dimicaret, in prœlio oc-
ciſus eſt. Pari leto affectus eſt
Lyſimachus à Seleuco. nam ſo-
cietate diſſoluta bellum inter
ſe geſſerunt. At Demetrius cùm
filiam ſuam Seleuco in matri-
monium dediſſet, neque eo ma-

gis fida inter eos amicitia manere potuisset: captus bello, in custodia socer generi periit morbo. neque ita multo pòst Seleucus à Ptolemæo Cerauno dolo interfectus est: quem ille à patre expulsum Alexandria, alienarum opum indigentem, receperat. ipse autem Ptolemæus, cùm vivus filio regnum tradidisset, ab illo eodem vita privatus dicitur. De quibus quoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur non præterire Hamilcarem, & Hannibalem: quos & animi magnitudine, & calliditate omneis in Africa natos præstitisse constat.

HAMILCAR.

Pater.

1. HAmilcar Hannibalis filius, cognomine Barca, Karthaginiensis, primo Punico bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Sicilia præesse cœpit exercitui. Cùm ante ejus adventum & mari & terra malè res gererentur Karthaginiensium, ipse ubi affuit, numquam hosti cessit, neque locum nocendi dedit. sæpéque è contrario occasione data lacessivit, sempérque superior discessit. quo facto cùm pæne omnia in Sicilia Pœni amisissent, ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur. Interim Karthaginienses classe apud insulas Ægates à C. Lutatio consule Romanorum superati, statuerunt

belli finem facere, eámque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille etsi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci serviendum putavit, quòd patriam exhaustam sumtibus, diutius calamitatem belli ferre non posse intelligebat: sed ita, ut statim mente agitaret, si paullùm modò res essent refectæ, bellum renovare, Romanósque armis persequi, donicum aut certè vicissent, aut victi manus dedissent. Hoc consilio pacem conciliavit: in qua tanta fuit ferocia, ut cùm Catulus negaret bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerant, armis relictis, Sicilia decederent: ut succumbente patria ipse peritorum se potius dixerit, quàm cum tanto flagitio domum redire: non enim suæ esse

virtutis, arma à patria accepta adversus hostes, adversarijs tradere. Hujus pertinaciæ cessit
2. Catulus. At ille, ut Karthaginem venit, multo aliter, ac sperabat, remp. se habentem cognovit. namque diuturnitate externi mali tantum exarsit intestinum bellum, ut numquam pari periculo fuerit Karthago, nisi cùm deserta est. Primò mercenarij milites, qui adversus Romam fuerant, desciverunt: quorum numerus erat viginti millium. hi totam abalienaverunt Africam, ipsam Karthaginem oppugnarũt. Quibus malis adeò sunt Pœni perterriti, ut auxilia etiam à Rom. petiverint, eáque impetrarint. Sed extremò, cùm propè jam ad desperationem perveniissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solùm hostes à mu-

ris Karthaginis removit, cùm amplius centum millia facta essent armatorum, sed etiam eò compulit, ut locorum angustiis clausi, plures fame, quàm ferro, interirent. omnia oppida abalienata, in his Vticam, atq; Hipponem, valentissima totius Africæ, restituit patriæ. neq; eo fuit contentus. sed etiam fineis imperij propagavit. tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse. Rebus his ex 3.
sententia peractis, fidenti animo atq; infesto Romanis, quo facilius causam bellandi reperiret, effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eóq; secum duxit filium Hannibalem annorum novem. Erat præterea cum eo adolescens illustris, formosus, Hasdrubal, quem nonnulli diligi turpius,

quàm par erat, ab Hamilcare, loquebantur. non enim maledici tanto viro deesse poterant: quo factum est, ut à præfecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, quòd moribus eorum non poterat interdici socero gener. De hoc ideò mentionem fecimus, quòd Hamilcare occiso ille exercitui præfuit, résque magnas gessit: & princeps largitione vetustos pervertit mores Karthaginiensium: ejusdémque post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium. At Hamilcar posteaquàm mare transiit, in Hispaniámque venit, magnas res secunda gessit fortuna: maximas, bellicosissimásque genteis subegit: equis, armis, viris, pecunia totam locupletavit Africam. Hic cùm in Ita-

liam bellum inferre meditaretur, nono anno pòst, quàm in Hiſpaniam venerat, in prœlio pugnans adverſus Vectones occiſus eſt. Hujus perpetuum odium erga Romanos maximè concitaſſe videtur ſecundum bellum Punicum. namq; Hannibal, filius ejus, aſſiduis patris obteſtationibus eò eſt perductus, ut interire, quàm Romanos non experiri, mallet.

HANNIBAL.

HAnnibal Hamilcaris filius, Karthaginienſis. Si verum eſt, quod nemo dubitat, ut populus Rom. omneis genteis virtute ſuperarit: non eſt infitiandum, Hannibalem tanto præſtitiſſe ceteros imperatores prudentia, quanto Populus Rom. antecedat fortitudine cunctas Cap. 1.

nationes. nam quotiescumque cum eo congressus est in Italia, semper discessit superior. quòd nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic conservavit, ut prius animam, quàm id deposuerit: qui quidē cùm patria pulsus esset, & alienarum opum indigeret, numquam destiterit animo bellare cum Romanis. nam ut omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis: omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit: hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut usque à rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ, ad quem cùm legati veniissent

Cap. 2.

Roma-

Romani, qui de ejus voluntate explorarent, daréntq; operam consiliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum, alia, atq; antea, sentire: neq; id frustra feciſſent, ídque Hannibal comperiſſet, séque ab interioribus consiliis segregari vidiſſet: tempore dato adiit ad regem, eíq; cùm multa de fide sua, & odio in Romanos commemoraſſet, hoc adjunxit: pater, inquit, meus Hamilcar puerulo, ut pote non amplius novem annos nato, in Hiſpaniam imperator proficiſcens Karthagine, Jovi optimo maximo hostias immolavit. quæ divina res dum conficiebatur, quæſivit à me, vellémne secum in castra proficiſci. Id cùm libenter accepiſſem, atq; ab eo petere cœpiſſem, ne dubitaret ducere:

tùm ille, faciam, inquit, si fidem mihi. quam postulo, dederis. simúlque ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat: eámque, ceteris remotis, tenentẽ jurare jussit, numquam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego jusjurandum patri datum usque ad hanc ætatem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. quare si quid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. cùm quidem bellũ parabis, teipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris. Cap. 3. Hac igitur qua diximus ætate cum patre in Hispaniam profectus est: cujus post obitum Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. hoc quoque interfecto, exercitus summam imperij ad

eum detulit. id Karthaginem delatum, publicè comprobatũ eſt. Sic Hannibal minor quinque & viginti annis natus, imperator factus proximo triennio omneis genteis Hiſpaniæ bello ſubegit. Saguntum, fœderatam civitatem, vi expugnavit. treis exercitus maximos cõparavit. Ex his unum in Africam miſit, alterũ cum Huſdrubale fratre in Hiſpania reliquit, tertium in Italiam ſecum duxit. ſaltum Pyrenæum tranſiit. quacunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit. neminem, niſi victum, dimiſit. Ad Alpeis poſteaquàm venit, quæ Italiam ab Gallia ſejungunt, quas nemo unquam cum exercitu ante eũ, præter Herculem Grajum, tranſierat: quo facto is hodie ſaltus Grajus appellatur: Alpicos conanteis prohibere tranſitum

concîdit, loca patefecit, itinera muniit, effecit, ut eà elefantus oneratus ire poſſet, quà antea unus homo inermis vix poterat repere. hàc copias traduxit, in Italiámque pervênit. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione cõſule, eúmque pepulerat. cum hoc eodem Claſtidio apud Padum decernit: ſauciúmque inde ac fugatum dimittit. tertiò idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud Trebiam adverſus eum venit. cum his manum conſeruit: utróſque profligavit. Inde per Ligures Apenninum tranſit, petens Etruriam. hoc itinere adeò gravi morbo afficitur oculorũ, ut poſtea numquã dextro æquè benè uſus ſit. qua valetudine cùm etiam premeretur, lecticáque ferretur, C. Flaminiũ conſulem apud Traſimenum cum

cap. 4.

exercitu insidiis circumventum occîdit. neque multo pòst C. Centenium, prætorem, cum delecta manu saltus occupantem. Hinc in Apuliam pervênit. Ibi obviam ei venerunt duo consules, C. Terentius & L. Æmilius. Utriusque exercitus uno prœlio fugavit: Paulum consulem occîdit, & aliquot præterea cõsulareis. In his P. Servilium Geminum, qui superiore anno fuerat consul. Hac pugna pugnata, Cap. 5. Romam profectus est nullo resistente. in propinquis urbis montibus moratus est. cùm aliquot ibi dies castra habuisset, & reverteretur Capuam: Qu. Fabius Maximꝰ, dictator Rom. in agro Falerno ei se objecit. Hic clausus locorum angustiis, noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit. Fabio callidissimo imperatori dedit verba.

namq; obducta nocte sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejúsque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. quo repentino objecto viso tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallũ nemo sit ausus. Hanc post rem gestam non ita multis diebus M. Minucium Rufum, magistrum equitũ, pari ac dictatorem imperio, dolo perductum in prœlium, fugavit. Tiberium Sempronium Gracchum iterum consulem in Lucanis absens in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellum, quinquies consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare prœlia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit. Quandiu in Italia fuit, nemo ei in acie resti-

tit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit. Hic invictus patriam defensum revocatus, bellum gessit adversus P. Scipionē filium ejus, quem ipse primùm apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebiam fugaverat. Cum hoc exhaustis jam patriæ facultatibus cupivit impræsentiarū bellum componere, quo valentior postea congrederetur. In colloquium convênit, conditiones non convenerunt. Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit. pulsus (incredibile dictu) biduo & duabus noctibus Adrumentum pervênit: quod abest à Zama circiter millia passuum trecenta. In hac fuga Numidæ, qui simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei; quos non solùm effûgit, sed

cap. 6.

etiam ipſos oppreſſit. Adrumenti reliquos ex fuga collegit novis delectibus paucis dieb⁹ multos contraxit. Cap. 7. Cum in apparando acerrimè eſſet occupatus, Karthaginenſes bellũ cum Romanis compoſuerunt. Ille nihilo ſecius exercitui poſtea præfuit, réſque in Africa geſſit, itémque Mago frater ejus, uſq; ad P. Sulpicium, C. Aurelium conſules. His enim magiſtratibus legati Karthaginienſes Romam venerunt, qui ſenatui, populóque Rom. gratias agerent, quòd cum his pacem feciſſent, ob eámq; rem corona aurea eos donarent: ſimúlq; peterent, ut obſides eorum Fregellis eſſent, captivíque redderentur. His ex ſenatuſconſulto reſponſum eſt, munus eorum gratũ, acceptúmque eſſe: obſides quo loco rogarent, futuros: captivos non re-

missuros, quòd Hannibalem, cujus opera susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, & nunc cum imperio apud exercitum haberent, itémque fratrem ejus Magonem. Hoc responso Karthaginienses cognito, Hannibalem domum, Magonémq; revocarunt. Huc, ut rediit, prætor factus est, pòst quàm rex fuerat, anno secundo & vicesimo. Ut enim Romæ consules, sic Karthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magistratu pari diligentia se Hannibal præbuit, ac fuerat in bello namque effecit, ex novis vectigalibus non solùm ut esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam supereset, quæ in ærario poneretur. Deinde anno pòst præturam, M. Claudio, L. Furio Coss. Roma legati Kar-

thaginem venerunt. Hos Hannibal ratus sui exposcendi gratia missos, prius quàm his senatus daretur, navem conscendit clàm, atque in Syriam ad Antiochum profûgit. Hac re palàm facta Pœni naveis duas, quæ cum comprehenderent, si possent consequi, miserunt. bona ejus publicarunt, domum à fundamentis disjecerunt, ipsum exulem judicarunt. Cap. 8. At Hannibal anno tertio, pòst quàm domo profugerat, L. Cornelio, Q. Minucio Coss. cum quinque navibus Africam accessit in finibus Cyrenæorum, si forte Karthaginienseis ad bellum, Antiochi spe, fiduciáq;, inducere posset: cui jam persuaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrẽ excivit. Id ubi Pœni resciverũt, Magonem eadem, qua fratrem

absentem, pœna affecerunt. Illi desperatis rebus cùm solvissent naveis, ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum pervênit. de Magonis interitu duplex memoria prodita est. namq; alij naufragio, alij à servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt. Antiochus autem si tam in agendo bello parêre voluisset consilijs ejus, quàm in suscipiendo instituerat, propius Tiberi, quàm Thermopylis, de summa imperii dimicasset. quem etsi multa stultè conari videbat, tamen nulla deseruit in re. Præfuit paucis navibus, quas ex Syria jussus erat in Asiam ducere. hísq; adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. quo cùm multitudine adversariorũ sui superarẽtur: ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior. Antiocho fugato, verens, ne

cap. 9.

dederetur, quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatẽ, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, quò se conferret, consideraret. Vidit autem vir omniũ callidissimus, magno se fore in periculo, nisi quid prævidisset, propter avaritiam Cretensium. magnam enim secũm pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. Itaq; capit tale consilium. amphoras complureis complet plumbo: summas operit auro & argento. has Gortyniis præsentibus deponit in templo Dianæ, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorẽ ductis, statuas æneas, quas secum portabat, omneis sua pecunia complet, eásque in propatulo domi abjicit. Gortynij templum magna cura custodiunt, non tam à ceteris, quàm ab Hannibale, ne quid ille, in-

scien-

scientibus illis, tolleret, secúmq; portaret. Sic conservatis suis rebus, Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontũ pervênit: apud quem eodem animo fuit erga Italiam, neq; aliud quicquam egit, quàm regẽ armavit, & excitavit adversus Romanos. Quem cùm videret domesticis rebus minus esse robustum, conciliabat ceteros reges, adjungebátq; bellicosas nationes. Dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes, Romanis amicissimus, bellúmq; inter eos gerebatur & mari & terra: quo magis cupiebat, eum Hannibal opprimi. sed utrobíq; Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem: quem si removisset, faciliora sibi cetera fore arbitrabatur. ad hunc interficiendum talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant de-

Cap. 20.

creturi. superabatur naviũ multitudine. dolo erat pugnandũ, cùm par non esset armis. imperavit quamplurimas venenatas serpenteis vivas colligi, eásque in vása fictilia conjici. Harum cùm confeciſſet magnam multitudinem, die ipso, quo facturus erat navale prœlium, classiarios convocat, hísque præcipit, omnes ut in unàm Eumenis regis concurrant navem, à ceteris tantùm satis habeant se defendere. id facilè illos serpentiũ multitudine consecuturos. Rex autem qua nave veheretur ut scirent, se facturũ: quem si aut cepissent, aut interfeciſſent, magno his pollicetur præmio fore. Tali cohortatione militum facta, classis ab utrísque in prœlium deducitur. quarum acie constituta, priusquàm signum pugnæ daretur, Hannibal, ut pa-

làm faceret ſuis, quo loco Eumenes eſſet, tabellarium in ſcapha cum caducéo mittit: qui ubi ad naveis adverſariorũ pervênit, epiſtolam oſtendens, ſe regem profeſſus eſt quærere. ſtatim ad Eumenem deductus eſt, quod nemo dubitabat aliquid de pace eſſe ſcriptum. Tabellarius ducis nave declarata ſuis, eodem, unde ierat, ſe recepit. At Eumenes ſoluta epiſtola nihil in ea reperit, niſi quod ad irridendum eum pertineret. cujus & ſi cauſam mirabatur, neque reperiebatur, tamen prœlium ſtatim committere non dubitavit. Horum in concurſu Bithynij Hannibalis præcepto univerſi navem Eumenis adoriuntur: quorum vim rex cùm ſuſtinere non poſſet, fuga ſalutem petiit: quam conſecutus non eſſet, niſi intra ſua præſidia ſe re-

cepisset : quæ in proximo litore erant collocata. Réliquæ Pergamenæ naves cùm adversarios premerent acrius, repente in eas vasa fictilia, de quibus suprà mentionem fecimus., conjici cœpta sunt: quæ jacta initiò risum pugnantibus excitarunt, neq; quaré id fieret, poterat intelligi. postquàm autem naves completas conspexerunt serpentibus, nova re perterriti, cùm, quid potissimùm vitarent, non viderent. puppeis averterunt, séque ad sua castra nautica retulerunt. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit, neque tum solùm, sed sæpe aliás pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios. Quæ dũ 12. in Asia geruntur, accidit casu, ut legati Prusiæ Romæ apud L. Quintium Flaminium consularem cenarent, atque ibi de Han-

nibale mentione facta, ex his unus diceret, eum in Prusiæ regno esse. Id postero die Flaminius senatui detulit. Patres cõscripti, qui Hannibale vivo nunquam se sine insidiis futuros existimabant, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flaminiũ, qui à rege peterent, ne inimicissimum suum secũ haberet, sibíque dederet. His Prusias negare ausus non est: illud recusavit, id ne à se fieri postularent. quòd adversus jus hospitii esset: ipsi, si possent, comprehenderent: locum, ubi esset, facilè inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat in castello, quod ei ab rege datum erat munĕri: ídque sic ædificarat, ut in omnibus partib⁹ ædificij exitus haberet, semper verens, ne usu eveniret, quod áccidit. Huc cùm legati Romanorum venissent, ac mul-

titudine domum ejus circumdediſſent, puer ab janua proſpiciens Hannibali dixit, plureis præter conſuetudinem armatos apparere. qui imperavit ei, ut omneis foreis ædificij circumiret, ac properè ſibi nuntiaret, num eodem modo undiq; obſideretur. puer cùm celeriter, quid eſſet, renuntiaſſet, omneiſque exitus occupatos oſtendiſſet: ſenſit id non fortuitò factũ, ſed ſe peti, neq; ſibi diutius vitam eſſe retinendam: quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor priſtinarum virtutum, venenum, quod ſemper ſecum habere conſueverat, ſumſit. Sic vir fortiſſimus, multis. variiſq; perfunctus laboribus, anno acquievit ſeptuageſimo. Quibus conſulibus interierit, non convenit. namq; Atticus M. Claudio Marcello, & Q. Fabio La-

beone Coss. mortuum in annali suo scriptum reliquit. At Polybius Æmilio Paulo, & Cn. Bæbio Tamphilo. Sulpicius autem P. Cornelio Cethego, & Bæbio Tamphilo. Atq; hic tantus vir, tantísque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit litteris. namque aliquot ejus libri sunt Græco sermone confecti: in his ad Rhodios de Cn. Manlii Volonis in Asia rebus gestis. Hujus bella gesta multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt, sicum eo vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Philænius, & Sosilus Lacedæmonius, atque hoc Sosilo Hannibal litterarum Græcarum usus est doctore. Sed nos tempus est hujus libri facere finem, & Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis utrorúmque factis,

qui viri præferendi sint, possit judicari.

M. P. CATO, EX LIBRO *secundo Aemilii Probi, seu Cornelii Nepotis.*

CAto ortus municipio Tusculo, adolescentulus priùs quàm honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quòd ibi heredium à patre relictum habebat. Inde hortatu L. Valerij Flacci, quem in consulatu, censuraque habuit collegam, ut M. Perpenna Censorinus narrare solitus est, Romam demigravit: in foróque esse cœpit. Primum stipendium meruit annorum decem, septémque. Q. Fabio, M. Claudio Coss. tribunus militũ in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est P. Claudij Ne-

ronis: magníq; ejus opera existimata est in prœlio apud Senam, quo cécidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Quæstor obtigit P. Africano, consuli: cum quo non pro sortis necessitudine vixit. Namque ab eo perpetua dissensit vita. Ædilis pl. factus est cum C. Helvio. Prætor provinciam obtinuit Sardiniã, ex qua quæstor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poëtam deduxerat. quod non minoris existimamus, quàm quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea triumphum deportavit. Ibi cùm diutius moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cujus in priore consulatu quæstor fuerat, voluit eum de pro-

vincia depellere, & ipse ei succe-
dere: neque hóc per senatum
efficere potuit, cùm quidē Sci-
pio in civitate principatum ob-
tineret, quòd tum non poten-
tia, sed jure respub. adminis-tra-
batur. Qua ex re iratus, senatu
peracto, privatus in urbe man-
sit. At Cato, censor cum eodem
Flacco factus, severè præfuit e.
potestati. Nam & in comple-
reis nobileis animadvertit, &
multas res novas in edictum ad-
didit, quare luxuria reprimere-
tur, quæ jam tum incipiebat
pullulare. Circiter annos octo-
ginta usq; ad extremam ætatē,
ab adolescentia, reipubl. causa
suscipere inimicitias non desti-
tit: à multis tentatus, non mo-
dò nullum detrimentum existi-
mationis fecit, sed, quoad vi-
111 xit, virtutum laude crevit. In
omnibus rebus singulari fuit

prudentia & industria. Nam & agricola sollers, & reip. peritus, & jurisconsultus, & magnus imperator, & probabilis orator, & cupidissimus litterarum fuit. Quarum studium & si senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit, neque de Græcis, neque de Italicis rebus, quod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex historias scribere instituit, earum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Roman. Secundus & tertius, unde quæque civitas orta sit Italica. Ob quam rem omneis, Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Punicum est primum: in quinto secundum. Atq; hæc omnia capitulatim sunt dicta. Reliquáque bella pari modo

persecutus est, usque ad præturam Ser. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In ijsdem exposuit quæ in Italia, Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria & diligentia compâret, multa doctrina. Hujus de vita & moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus, rogatu T. Pomponij Attici. Quare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

VITA T. POMPONII ATTICI ex Cornelio Nepote.

POmponius Atticus, ab origine ultima, stirpis Romanæ generatus, perpetuò à majoribus acceptam, equestrem, obti-

obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, &, ut tum erant tempora, diti, imprimísq; studioso litterarum. hic, prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenij, summa suavitas oris ac vocis, ut non solùm celeriter acciperet quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. Qua ex re, in pueritia, nobilis inter æqualeis ferebatur, clariúsque exsplendescebat, quàm generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omneis studio suo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marij filius, M. Cicero, quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuò fuerit carior. Pater maturè decessit. ipse ado-

lescentulus, propter affinitatem P. Sulpicij, qui tribunus pleb. interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponij consobrina, nupserat M. Servio fratri Sulpicij. Itaque interfecto Sulpicio, posteaquàm vidit, Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, cùm alij Syllanis, alij Cinnanis faverent partibus: idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit: neq; eo secius adolescentem Marium hostem judicatũ, juvit opibus suis: cujus fugam pecuniis sublevavit. Ac ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eodem magnam partẽ fortunarũ trajecit suarum, Hîc

ita vixit, ut universis Atheniensibus meritò esset carissimus. Nam, præter gratiam, quæ jam in adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Quum enim versuram facere publicè necesse esset, neque ejus conditionem æquam haberent: semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram umquam ab iis acceperit, neque longius, quàm dictum esset, debere passus sit. Quod utrumque erat iis salutare. nam neque indulgendo inveterascere eorum æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium alia quoq; liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis septem modij tritici darẽtur, qui modus mensuræ, medimnus Athenis appellatur. Hîc autẽ sic se gerebat, ut

communis infimis, par principibus videretur. quo factum est, ut huic omneis honores, quos possent, publicè haberent, civémque facere studerent: quo beneficio ille uti noluit. quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia áscita. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit: absens prohibere non potuit. Itaq; aliquot ipsi, & Phidiæ locis sanctissimis posuerũt. Hunc enim in omni procuratione reipubl. actorem, auctorémq; habebant. Igitur primũ illud munus fortunæ, quòd in ea potissimùm urbe natus est, in qua domicilium, orbis terrarum esset imperij, ut eandem & patriam haberet, & domum: hoc specimen prudentiæ, quòd, cùm in eam civitatem se contulisset, quæ antiquitate, humanitate,

doctrina præstaret omneis, unus ei ante alios fuerit carissimus. Huc ex Asia Sylla decedens cùm veniſſet, quamdiu ibi fuit, secū habuit Pomponium, captus adolescentis & humanitate, & doctrina. Sic enim Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut apparêret, in eo nativum quendam lepórem esse, non ascitum. Idem poëmata pronuntiabat & Græcè & Latinè, sic ut suprà nihil posset addi. Quibus rebus factū est, ut Sylla nusquam ab se dimitteret, cuperétque secum deducere. cui cùm persuadere tentaret, noli, oro te, (inquit Pomponius) adversum eos me velle ducere, cùm quibus ne contra te arma ferrem, Italiam relíqui. At Sylla adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, quæ

Athenis acceperat proficiscens jussit deferri. Hîc complures annos moratus, cùm & rei familiari tantum operæ daret, quantum non indiligens deberet paterfamiliâs, & omnia reliqua tempora aut litteris, aut Athenienſium reip. tribueret, nihilo minus amicis urbana officia præſtitit. Nam & ad comitia eorũ ventitavit, & ſi qua res major acta eſt, non defuit: ſicut Ciceroni in omnibus ſuis periculis ſingularem fidem præbuit: cui ex patria fugienti, LLS. ducẽta & quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autẽ rebus, remigravit Romã, ut opinor, L. Cotta & L. Torquato Coss. quem diem ſic univerſa civitas Athenienſiũ proſecuta eſt, ut lacrymis deſiderij futuri dolorem indicaret. Habebat avunculũ Qu. Cæciliũ, equitem Rom. familia-

rem L. Luculli, divitem, difficillima natura, cujus sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summã senectutẽ retinuerit benivolentiam. quo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens, testamento adoptavit eum, heredémq; fecit ex dodrante: ex qua hereditate accepit circiter centies LLS. Erat nupta soror Attici Qu. Tullio Ciceroni: eásq; nuptias M. Cicero cõciliarat, cum quo à condiscipulatu vivebat conjunctissimè, multo etiam familiarius, quàm cum Qu. ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinẽ morũ, quàm affinitatẽ. Utebatur a. intimè Qu. Hortẽsio, qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non posset, uter cũm plus diligeret, Cicero, an Hortensius.

&, id, quod erat difficilimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essétque
6. talium virorum copula. In republ. ita versatus est, ut semper optimarum partium & esset, & existimaretur. Neque tamen se civilibus fluctibus committeret, quòd non magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quàm qui maritimis jactarentur. Honores non petiit, cùm ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem; quòd neq; peti more majorum, neq; capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque è republ. sine periculo, corruptis civitatis moribus. Ad hastam publicam numquam accessit. Nullius rei neque præs, neque manceps factus fuit. Neminem neq; suo

nomine. neque subscribens, accusavit. In jus de sua re numquam iit: judicium nullum habuit. Multorum consulum, prætorúmq; præfecturas delatas, sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus: honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum. qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cùm apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, cùm prœturam gerere noluisset, assectam esse prætoris. qua in re non solùm dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, cùm suspiciones quoque vitaret criminum. quo fiebat, ut ejus observantia omnibus esset carior, cùm eam officio, non timori neque spei tribui viderent. Incidit 7.
Cæsarianum civile bellum, cùm haberet annos circiter sexagin-

ta. Usus est ætatis vacatione, neque se quoquam movit ex urbe.
Quæ amicis suis opus fuerant ad Pompejum proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. Ipsum Pompejum conjunctum non offendit. Nullum ab eo habebat ornamentũ, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias ceperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum ejus offensione, domi remanserunt. Attici autem quies, tantopere Cæsari fuit grata, ut victor, cùm privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solùm molestus non fuerit, sed etiam sororis filiũ, & Qu. Ciceronem ex Pompeij castris concesserit. Sic vetere instituto vitæ, effûgit nova
8. pericula. Secutũ est illud, occiso Cæsare, cùm Resp. penes Brutos videretur esse, & Cassium, aa

tota civitas se ad eum convertisse videretur. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali familiarius, quàm hoc sene: neq; solùm eum principem consilij haberet, sed etiã in victu. Excogitatum est à quibusdam, ut privatum ærarium, Cæsaris interfectoribus ab equitibus Rom. constitueretur. Id facilè effici posse arbitrati sunt, si & principes ejus ordinis pecunias contulissent. Itaq; appellatus est à C. Flavio Bruti familiari Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet. At ille, qui officia amicis præstãda sine factione existimaret, sempérque à talibus se consilijs removisset, respondit, si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum quantum eæ paterentur: sed neque cum quoquam de ea re collocuturũ, neq; coiturum. Sic ille consen-

sionis globus, hujus unius dissensione, disjectus est: neq; multo post superior esse cœpit Antonius, ita ut Brutus & Cassius provinciarum, quæ iis necis causa datæ erant à consulibus, desperatis rebus, in exsiliũ proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum ceteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto Bruto, Italiáque cedenti LLS. centum millia muneri misit. eidem in Epiro absens, trecenta jussit dari: neque eo magis potenti adulatus est Antonio, neque desperatos relíquit.

9. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In quo si tantùm eum prudentem dicam: minus quàm debeam, prædicem, cùm ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quæ nullis casibus agitur, neq; minuitur.

Hostis

Hostis Antonius judicatus Italia cesserat: spes restituendi nulla erat, non solùm inimici, qui tum erant potentissimi, & plurimi, sed etiam qui adversariis ejus se dabant, & in eo lædendo aliquã consecuturos sperabant commoditatem: Antonij familiareis insequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam exstinguere parabant. Atticus cùm Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto: non modò nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed è contrario familiareis ejus ex urbe profugienteis, quantum potuit, texit: quibus rebus indiguerunt, adjuvit. P. verò Volumnio ea tribuit, ut plura à parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviæ, cùm litibus destineretur, magnísque terro-

ribus vexaretur, tanta diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa steterit vadimonium sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Quin etiam, cùm illa fundum secunda fortuna emisset in diem, neq; post calamitatem versuram facere potuisset: ille se interposuit, pecuniámque sine fœnore, sinéque ulla stipulatione credidit, maximum existimans quæstum, memorem, gratúmq; cognosci: simúlque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicũ. quæ cùm faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum Sed sensim is à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parum odisse malos
16. civeis videretur. Ille autem sui judicij, potius quid se facere par

esset, intuebatur, quàm quid alij laudaturi forent. Conversa subitò fortuna est. Ut Antonius redijt in Italiam, nemo non magno in periculo Atticũ putaret, propter intimam familiaritatẽ Ciceronis & Bruti. Itaq; ad adventum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebátq; apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paullo antè, opẽ tulerat: (Tanta varietas iis temporibus fuit fortunæ, ut modò hi, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo) habebátque secum Qu. Gellium Canium, æqualem, simillimúmque sui. Hoc quoq; sit Attici bonitatis exemplũ, quòd cum eo, quem puerum in ludo cognoverat, adeò conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in

Ciceronem, ut non solùm ei, sed etiam omnibus ejus amicis esset inimicus, eósque vellet proscribere: multis hortantibus tamẽ, Attici memor fuit officij, & ei, cùm requisisset ubínam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimq; ad se veniret. Se eum, & Gellium Canium, de proscriptorum numero exemisse, ac, ne quod periculum incideret, quòd noctu fiebat: præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore non solùm sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, præsidio fuit. Neque enim suæ solùm à quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim: ut apparêret nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. Quòd si gubernator præcipua laude fertur, qui navem ex hieme, marí-que scopuloso servat, cur non singularis ejus existimetur pru-

dentia, qui ex tot, támque gravibus procellis civilibus, ad incolumitatem pervênit? Quibus ex malis ut se emerserit, nihil aliud egit, quàm ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. Cùm proscriptos præmiis imperatorum vulgus conquireret, nemo in Epirum vênit, cui res ulla defuerit. nemini non ibi perpetuò manendi potestas facta est. Quin etiam post prœlium Philippense, interitúmque C. Cassij, & M. Bruti, L. Julium Mocillam prætorium, & ejus filium, Aulúmque Torquatum, ceteróſq; pari fortuna perculsos, instituerit tueri: atq; ex Epiro his omnia Samothraciam supportari jusserit. Difficile est omnia persequi, & non necessaria. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem, neq; temporariam, neq;

callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, quòd non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit. qui quidem Serviliam Bruti matrẽ, non minus post mortem ejus, quàm florentẽ, coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit, quòd neq; lædebat quẽquam, neq;, si quam injuriã acceperat, non malebat ulcisci, quàm oblivisci. Idem immortali memoria percepta retinebat beneficia: quæ autẽ ipse tribuerat, tandiu meminerat, quoad ille, gratus erat, qui acceperat. Itaq; id fecit, ut verè dictũ videatur, *Sui cuiq; mores fingunt fortunã.* Neq; tamen prius ille fortunã, quàm se ipse finxit: qui cavit ne
12. qua in re jure plecteretur. His igitur rebus effecit, ut M. Vipsanius Agrippa, intima familiaritate conjunctus adolescenti Ce-

sari, cùm propter suam gratiam & Cæsaris potentiã, nullius conditionis non haberet potestatẽ, potissimùm ejus deligeret affinitatem, præoptarétque equitis Romani filiam generosarũ nuptiis. atq; harum nuptiarũ conciliator fuit (non est enim celandum) M. Antonius triumvir reipub. cujus gratia cùm augere possessiones posset suas, tantũ affuit à cupiditate pecuniæ, ut nulla in re usus sit ea, nisi in deprecandis amicorũ aut periculis, aut incõmodis. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. Nam cùm L. Saufeij, equitis Rõ. æqualis sui, qui complureis annos studio ductus philosophiæ, Athenis habitabat, habebátque in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona vendidissent, consuetudine ea, quatum res gerebãtur: Attici labo-

re, atque industria factum est, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior se patrimonium amisisse, & recuperasse. Idem L. Juliũ Calidium, quem post Lucretij, Catullíque mortem, multo elegantissimum poëtam nostram tulisse ætatem verè videor posse contendere, neque minus virum bonum, optimísque artibus eruditum, quem post proscriptionem equitum, propter magnas ejus Africanas possessiones, in proscriptorum numerum à P. Volumnio, præfecto fabrûm Antonij, absentem relatum, expedivit. Quod in præsenti utrùm ei laboriosius, an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare, quòd in eorum periculis, non secus absenteis, quàm præsenteis amicos Attico esse curæ cognitum est. Neque verò minus ille vir, bonus paterfamiliâs ha-

bitus est, quàm civis. Nam cùm esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. Neq; tamen non imprimis bene habitavit, omnibúsq; optimis rebus usus est. Nam domũ habuit in colle Quirinali Tamphilanam, ab avunculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, sed silva constabat. ipsum enim tectum antiquitus constitutum plus salis, quàm sumptus habebat: in quo nihil commutavit, nisi si quid vetustate coactus est. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima: si forma, vix mediocri. namq; in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarij, ut ne pedisequus quidem quisquam esset qui non utrumque horum pulchrè facere posset. pari modo artifices ceteri, quos cultus do-

mesticus desiderat, apprimè boni. neque tamen horum quemquam, nisi domi natum, domíq; factum habuit: quod est signũ non solùm continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam & non intemperanter concupiscere quod à plurimis videas, continentis debet duci: & potius diligentia, quàm pretio parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus: splendidus, non sumptuosus, omni diligentia munditiam, non affluentiam affectabat. supellex modica, non multa, ut in neutram partẽ conspici posset. Nec præteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem. cùm in primis lautus esset eques Rom. & non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus non amplius, quàm terna millia æris,

peræquè in singulos menses, ex ephemeride eum expensũ sumptui ferre solitum. Atque hoc non auditum, sed cognitũ prædicamus. Sæpe enim propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit quàm anagnosten: quod nos quidem jucundissimum arbitrabamur. Neque umquam sine aliqua lectione apud eum cenatum est: ut non minus animo, quàm ventre, convivæ delectarentur. Namque eos vocabat, quorum mores à suis non abhorrerent. Cùm tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ consuetudine. tantáque usus est moderatione, ut neque in sestertio vicies, quod à patre acceperat, parum splendidè gesserit: neque in sestertio

centies affluentius vixerit, quàm instituerat, paríq; fastigio steterit in utraque fortuna. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam, neq; in Italia, præter Ardeatinũ, & Nomentanũ, rusticum prædium: omneísque ejus pecuniæ reditus constabat in Epiroticis, & urbanis possessionibus. Ex quo cognosci potest, eum, usum pecuniæ non magnitudine, sed ratione metiri
45 solitum. Mendacium neq; dicebat, neq; pati poterat. Itaq; ejus comitas non sine severitate erat, neq; gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrùm eum amici magis vererentur, quàm amarent. Quicquid rogabatur, religiosè promittebat, quòd non liberalis sed levis arbitrabatur, polliceri, quod præstare non posset. Idem

in nitendo quod semel admisisset tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Numquam suscepti negotij eum pertæsum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qua nihil habebat carius. quo fiebat, ut omnia M. & Q. Ciceronum, Catonis, Marciq; Hortensij, Auli Torquati, multorum præterea equitum Rom. negotia procuraret. Ex quo judicari poterat, non inertia, sed judicio, fugisse reipubl. procurationem. Humanitatis 16.
verò nullum afferre majus testimonium possum, quàm quòd cùm adolescens idem seni Syllæ fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto: cum æqualibus autem suis, Qu. Hortensio, & M. Cicerone sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus, quam.

quam eum præcipuè dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus jam sunt editi, sex decim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus, ad Atticum missarum: quæ qui legat, non multùm desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, de vitiis ducum, mutationibus reipub. perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat. & facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solùm, quæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam quæ nunc usu
17. veniunt, cecinit, ut vates. De pietate autem Attici quid plu-

ra commemorem, cùm hoc ipſum verè gloriantem audierim in funere matris ſuæ, quàm extulit annorum nonaginta, cùm eſſet ſeptem & ſexaginta, ſe numquam cum matre in gratiam redijſſe, numquam cum ſorore fuiſſe in ſimultate, quam propè æqualem habebat. Quod eſt ſignum, aut nullam umquã inter eos querimoniam interceſſiſſe, aut hunc ea fuiſſe in ſuos indulgentia, ut, quos amare deberet, iraſci eis nefas duceret. neque id fecit natura ſolùm, quamquam omnes ei paremus, ſed etiam doctrina. nam & principum philoſophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad oſtentationem uteretur. Moris etiam majorum ſummus imitator fuit, antiquitatíſque amator: quàm adeò diligenter ha-

buit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neq; pax, neq; bellum, neque res illustris est populi Romani, quæ non in eo suo tempore sit notata: & quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexnit, ut ex eo clarorũ virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem seperatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Juniam familiã à stirpe ad hanc ætatem, ordine enumeraverit, notans qui, à quo ortus, quos honores, quibúsque temporibus cepisset: pari modo Marcelli Claudij de Marcellorum: Scipionis Cornelij, & Fabij Maximi, de Corneliorum, & Fabiorum, & Æmiliorũ quoque: quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ cla-

norum virorum. Attigit quoq; poëticen, credimus, ne ejus expers esset suavitatis. Namq; versibus qui honore, rerúmque gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt, exposuit: ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratúsq; eorum non amplius quaternis, quinísq; versibus descripserit. quod vix credendũ sit, tantas res, tam breviter potuisse declarari. Est etiam liber Græcè confectus, de consulatu Ciceronis. Hactenus Attico vivo edita hæc à nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites, ei esse voluit, reliqua persequemur: & quantum potuerimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut suprà significavimus, *Suos cuiq; mores plerumque conciliare fortunam.* Namque hic contentus ordine equestri, quo erat ortus, in affi-

nitatem pervenit imperatoris Divi Julij filij, cùm jam ante familiaritatem ejus esset consecutus nulla alia re, quàm elegantia vitæ, qua ceteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliores. Tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cuiquam antè detulerit & conciliarit, quam civis Romanus quivit consequi. Nata est autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Cæsar vix anniculam Tiberio Claudio Neroni Drusilla nato, privigno suo, despondit. quæ conjunctio necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. Quamvis ante hæc sponsalia non solùm cùm ab urbe abesset, numquam ad suorum quemquam

litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret, imprimis, quid legeret, quibúsque in locis & quamdiu esset moraturus: sed etiam cùm esset in urbe, & propter suas infinitas occupationes, minus sæpe, quàm vellet Attico frueretur, nullus dies temerè intercesserit, quo non ad eum scriberet, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret: modò aliquam ei quæstionem poëticam proponeret, interdum jocans ejus verbosiores eliceret epistolas. Ex quo áccidit, cùm ædes Jovis Feretrij, in capitolio ab Romulo constituta, vetustate, atque incuria detecta, prolaberetur, ut Attici ammonitu, Cęsar eam reficiendam curaret. Neq; verò ab M. Antonio minus absens litteris colebatur: adeò, ut accuratè ille exul tũ his terris quid ageret, quid curæ sibi

haberet, certiorem faceret Atti-
cum. Hoc quale sit, facilius e-
xistimabit is, qui judicare pote-
rit, quantæ sit sapientiæ, eorum
retinere usum, benivolentiámq;,
inter quos maximarum rerum
non solùm æmulatio, sed obtre-
ctatio tanta intercedebat, quan-
tam fuit incidere necesse inter
Cæsarem, atq; Antonium, cùm
se uterque principem non so-
lùm urbis Romæ, sed orbis ter-
z1. rarum esse cuperet. Tali modo
cùm VII. & LXX. annos com-
plexset, atq; ad extremam sene-
ctutem non minus dignitate,
quàm gratia, fortunáq; crevis-
set (multas enim hereditates
nulla alia re, quàm bonitate, est
consecutus) tantáq; prosperita-
te usus esset valetudinis, ut annis
triginta medicinâ non indiguis-
set: nactus est morbum, quem
initiò & ipse, & medici con-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0304
DFG

temserunt. nam putarunt esse tenesmon : cui remedia celeria, faciliáque proponebantur. In hoc cùm treis menses sine ullis doloribus, præterquàm quos ex curatione capiebat, consumsisset : subitò tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistulæ puris erumperent. Atque hoc prius, quàm ei accideret, postquàm in dies dolores accrescere, febrésq; accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi jussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextúmque Peducæum. hos ut venisse vidit : in cubitum nixus : quantam, inquit, curam, diligentiámq; in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cùm vos testeis habeam, nihil necesse est pluribus verbis commemorare : quibus quoniam, ut spero, satis-

feci, me nihil reliqui feciſſe, quod ad ſanandum me pertineret, reliquum eſt, ut egomet mihi conſulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi ſtat alere morbum deſinere. namque his diebus quicquid cibi ſumſi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores ſine ſpe ſalutis. Quare à vobis peto primùm, ut conſilium probetis meum: deinde ne fruſtra dehortando conemini.

22. Hac oratione habita, tanta conſtantia vocis atque vultus, ut non ex vita, ſed ex domo in domum videretur migrare, cùm quidem Agrippa eum flens, atque oſculans, oraret atque obſecraret, ne ad id, quod natura cogeret, ipſe quoque ſibi acceleraret: & quoniam tum quoque poſſet temporibus ſupereſſe, ſe ſibi, ſuiſque reſervaret: preces ejus taciturna ſua obſti-

natione depressit. Sic cùm biduum cibo se abstinuisset, subitò febris decessit, levióq; morbus esse cœpit. tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto, postquam id consilium inierat, pridie Kal. Aprileis, Cn. Domitio, C. Sosio Coss. decessit. elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. Sepultus est juxta viam Appiam, ad quintum lapidem in monumento Qu. Cæcilij, avunculi sui.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0307
DFG

liæ Graccborum matris, ex Cornelii Nepotis libro excerpta.

DIcis pulchrum esse inimicos ulciſci: id neque majus, neque pulchrius cuicquam atque mihi esse videtur. Sed si liceat repub. salva ea persequi: sed quatenus id fieri non potest, multo tempore, multísque partibus inimici nostri non peribunt, atq; uti nunc sunt, erunt, potius quam resp. profligetur atque pereat.

VErbis conceptis dejerare ausim, præterquàm, qui Tyberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiæ, tantúmque laboris, quantum te ob has res mihi tra-

tradidisse, quem oportebat omnium eorum, quos antehac habui liberos, partes eorum tolerare atque curare, ut quam minimum sollicitudinis in senecta haberem, utique quæcumq; ageres, ea velles maximè mihi placere, atque uti nefas haberes rerum majorum adversùm meam sententiam quicquam facere; præsertim mihi cui parva pars vitæ supereſt, ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin & mihi adverseris, & remp. profliges, denique quæ pausa erit, & quando desinet familia nostra insanire? & quando modus ei rei haberi poterit? & quando desinemus & habentes, & præbentes, molestiis desistere? & quando perpudescet miscenda atque perturbanda repub. Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mor-

tua ero, petito tribunatum, facito quod lubebit, cùm ego non sentiam: ubi mortua ero, parentabis mihi, & invocabis Deum parentem in eo tempore, ne pudet te eorum Deum preces expetere, quos vivos atq; præsentes, relictos atque desertos habueris? ne ille sinat Jupiter, te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animo, etsi perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

FRAGMENTA
Corn. Nep.

Ex 1. Chronicorum libro.

HOmerus, & Hesiodus vixerunt ante Romam cõditam annis circiter centum & quinquaginta. *Gellius lib. 17. cap. 21.*

Ex 1. librorum de vita Ciceronis.

M. Tullius Cicero tres & viginti annos natus primum campum judicij publici egit, Sextúmq; Roscium parricidij reum defendit. *Gellius lib. 15. cap. 28.*

Ex 2. lib. de viris Illustribus.

Carisius l. 2. citat vocem subinde, *& ex 15. idem lib. 1. citat illum modum dicendi,* Harum partum, *& ex 16. illa verba,* A fra-

tre patruele rem necessitudinis, sed personam ostendat.

Ex incerto libro, de viris Illustribus.

Justè, venustèque admodum reprehendisse dicitur A. Albinum M. Cato. Albinus, qui cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Græca scriptitavit. In ejus historiæ principio scriptum est ad hanc sententiam: Neminem succensere sibi convenire, si quid in his libris parum compositè, aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum, inquit, homo Romanus, natus in Latio: Græca oratio à nobis alieniſſima est, Ideoque veniam, gratiámque malæ existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Ea cùm legisset M. Cato, Næ tu, inquit, Aule nimium nugator es, cùm maluisti culpam deprecari,

quàm culpa vacare. Nam petere veniam ſolemus aut cùm imprudentes erravimus, aut cùm compulſi peccavimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priuſquam faceres, peteres ut ignoſceretur. *Gellius lib. 11. c. 8.*

Archilocus Tullo Hoſtilio Romæ regnante iam tunc fuit poëmatis clarus, & nobilis. Idem l. 17. c. 21.

Ex libris exemplorum.

A Virgine Veſtale. *Hoc citat Cariſius l. 1. ex exemplorũ libro.*

Multis in ſenatu placuit, ut ij, qui redire nollent, datis cuſtodibus ad Annibalem deducerentur: ſed ea ſententia numero plurium, quibus id non videbatur, ſuperata eſt. ij tamen, qui ad Annibalem non redierunt, uſque adeò inteſtabiles, inviſique fuerunt, ut tædium vitæ ceperint necémque ſibi con-

sciverint. *Gellius l. 7. c. 18. ex 5. exemplorum libro.*

Ex incerto libro.

Ædis Martis est circo Flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio. *Priscianus lib. 8.*

Eudoxus quidam mea ætate, cùm Lathyrum Regem fugeret, Arabico sinu egressus, Gades usque pervectus est. *Plinius libr. 11. c. 67.*

Latitudinis ubi minimum septem millia passuum, ubi verò plurimum decem millia. *Plinius in Proëmio lib. 3.*

Melpum opulentia præcipuum ab Insubribus & Raiis, & Senonibus deletum est eo die quo Camillus Veios cepit. *Idem Plinius libri ejusdem c. 17.*

Istro in Adriam effluenti è Danubio amne ex adverso Padi fauces contrario eorum percussu mari interjecto dulcescente.

Plinius libr. ejusdem c. 18.

Alpes in latitudinem C. M.

Idem l. ejusdem c. 19.

Cerne insula abest ex adverso maximè Carthaginis, à continente passus mille, non amplior circuitu duobus millibus.

Idem l. 6. c. 31.

Post accipenserem præcipua auctoritas fuit lupo, & asellis.

Idem l. 9. c. 18.

Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis C. veniebat, nec multò pòst rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quæ in libris denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta usus improbatur, qua purpura quis non jam triclinaria facit.

Idem l. 19. c. 29.

Turdi paulò ante Augusti principatum cœpti saginari.

Ciconiæ magis placent, quàm grues. *Idem l. 10. c. 23.*

Magnitudo Loti arboris brevis. *Idem l. 13. c. 17.*

Vinum exprimitur illi, simile mulso, quod ultra denos dies non durat. baccæque contusæ cum alica ad cibos doliis conduntur. *Idem Plinius ibidem.*

Scandula contecta fuit Roma ad Pyrrhi usque bellum annis quadringentis septuaginta. *Idem lib. 16. c. 10.*

Ante Syllæ victoriam duo tantùm triclinia Romæ fuerunt argentea. *Idem l. 33 c. 11*

Cleophantus Corinthius secutus est in Italiam Dæmaratum Tarquinij Prisci Romani Regis patrem, fugientem à Corintho injurias Cypselli tyranni. *Idem l. 35. c. 3.*

Primus Romæ parietes crusta marmoris operuit totius do-

mus suæ in Cælio monte Mamurra Formiis natus, eques Romanus, præfectus fabrorum C. Cæsaris in Gallia. *Idem l. 36. c. 6.*

Mamurra primus totis ædibus nullam nisi è marmore columnam habuit, omnes solidas è Caristio, aut Lunensi. *Idem Plinius ibidem.*

Fuit magno miraculo, cùm P. Lentulus Spinter amphoras ex onyche Chiorum magnitudine cadorum ostendisset: post quinquennium deinde triginta duorum pedum longitudine vidi. *Idem libri ejusdem c. 7.*

LECTORI.

POSTEAQUAM VVibertus Manguinus Canonicus Ecclesiæ Claromontensis & Syndicus, mihi dono donavit Æmilij Probi, seu Cornelij Nepotis librum de vita excellentium imperatorum, literata manu descriptum elegantter, illico cum Veneta & Lambini editione contuli, multoq; utrâque integriorem & emendatiorem inveni, eapropter edere in vulgus, quàm domi tenere satius duxi. Cumque me grave negotium Lutetiam Parisiorum evocasset, hac

mente mecum attuli, ut propositum nihilo secius perage-rem, si ita amicis visum esset, de ea re cum illis, hisque viris doctis collocutus sum, qui mihi sponte currenti calcar addiderunt, utq; Notas inspargerem consilium dederunt, quod celeriter arripui, & quidquid otij fuit ab aulicis & forensibus occupationibus, huic rei totum dedidi: cùm ut hic liber emendatior, tum ut Notulis clarior publicaretur, quas elaborare per otium non licuit, quòd longa lite destineret. Verùm cùm eò deducta res fuit, ut scriba more majorum senatusconsultum ex periculo recitaret, hac liber cu-

ra, maturavi inceptum, & perfeci. Habe ergo Æmilium Probum, seu (quod magis credo) Cornelium Nepotem, ut emendatiorem, sic auctiorem fragmentis quibusdam nusquam antea editis, quibus jam dudum evulgata subtexui, & ut nihil reliqui facerem, quod ad hunc auctorem sanandum pertineret, talem inij rationem, ex bibliotheca V. C. Puteani habui ms. absolutum Bononiæ An. Dom. M. CCCC. LVII & vetus exemplar Venetiis impressum An. Do. M. CCCC. LXXIII. præterea schedas ex v. c. Giphanij, quas amoris ergo scripsit sua manu, maximo natu

Pute A-

Puteani filius, paternæ doctrinæ & humanitatis heres. vitam Attici ms. & eadem fragmenta, quæ post vitam Attici in fine ms. mei posita sunt, nactus sum à P. Petavio V. C. de his satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, me has notas in Cornelium Nepotem scripsisse, quod existimationem meam in ea re agi putabam, si amicorum postulata facere nollem, quorum jussu, post Longolij & Lambini VV. doctorum notas & commentarios, imprimendas curavi. His ne deutere lector, & Vale.

NOTÆ IN CORNELIUM NEPOTEM.

PAg. 1. commemorari] variant libri, mſ. meus *commorati*, Ven. *commemorati*, reliqui *commemorari*.

p. 2. primum locum tenet ædium,] Arnobius lib. 2. *matres familias veſtræ in atriis operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas*, vide Lipſium elect. 1. c. 17.

Exponemus de vita] ſic mſſ. Ven. Ald. rectè, in Pelopida ſimili loquendi formula utitur, *cujus de virtutibus dubito quemadmodum exponam*.

De víta] rectè mſſ. & vett. Pariſ. Colon. Lamb. *vitas*. in Epaminonda, *quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum complurium concludere conſtituimus*.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0322
DFG

Miltiades.

Antiquitate generis] vide Herodotum in Eratone.

p. 3. Aut quibuscum erat profectus] sic ex mss. Puteani V. C. emendavi, reliqui mss. *à quibus* habent, quæ lectio defendi potest, sed prior magis idonea videtur, ut ex his quæ sequuntur perspicuum est.

Officia præstabat] locutio familiaris auctori, in Attico, *nihilo minus amicis urbana officia præstitit*, postea, *at ille qui officia amicis præstanda sine factione existimabat*, ibidem, *tanta diligentia officium suum præstitit*.

p. 6. Acieque decernerent] sic mss. vulgati *contenderent*, Justinus l. 6. *teneri non potuit, quin ex continenti acie decerneret*, in Eumene, *quo integriore exercitu*

decerneret in Annibale, *cum hoc eodem Claſtidio apud Padum decernit*, ibidem poſtea, *claſſe paucis diebus erant decreturi*, ſic mſ. meus, reliqui *decertaturi*.

p. 6. Nova arte, vi ſumma] vulgo editam lectionem cudendam curavi, repugnantibus ultro, mſſ. qui inter ſe non conveniunt: Schedæ Gifanij *nona partis ſumma*, quam lectionem ex Gifanij chirographo conceptam tradidit Schoppius veriſſ. 2. c. 10. illa cùm ſe expedire non poſſet antiquarius, qui librum Puteani exſcripſit, lacuna corruptam eſſe teſtatus eſt, mſ. meus, qui reliquis emendatior & integrior eſt, *in parte montis ſumma*, diſertim habet. hic eam appingere, quàm textui melius putavi.

p. 7. Qua pugna nihil adhuc eſt nobilius] de qua Herodotus,

Plato, Plutar. Pausanias, Valerius l. 5. c. 3. l. 8. c. 18. Justinus l. 2. Frontinus l. 4. Strategem. c. 7. & ex Justino Orosius l. 2. c. 8. per eos qui ei interfuerant jurare mos fuit, Athenæus l. 9. pugnata autem est anno secundo Olympiadis, 72.

p. 7. Obsoleti] sic mss. Par. Lāb. rectè, reliqui *aboleti*, obsoletos honores dixit, communes & abortivos, qui numero viluerant.

p. 8. Classiariis Regiis] id est Darij Regis Persarum, in Themistocle, *cum classiariis regis conflixit*, id est Xerxis. rex enim Persarum speciali nomine βασιλεὺς appellatur, Suidas, Q. Curtius lib. 2.

p. 9. Acceperat] sic mss. & Lamb. reliqui *ceperat*, idem in Dione, *accepit gravissimum parens vulnus morte filij*, in Epa-

minonda, *at Epaminondas cùm animadverteret mortiferũ vulnus se accepisse.* in Datame, *celans quantum vulnus accepisset.* Plinius epist. 5. l. 8. *grave vulnus Macrinus noster accepit.*

p. 8. In præsentia] sic mss rectè, in Themistocle, *huc cùm venisset, & in præsentia rex abesset*, in Alcibiade, *hunc sequi se jubet, & id quod in præsentia vestimentorum fuit arripuit.* Seneca epist. 110. & Cornificius l. 2.

p. 8. In vincula publica conjectus est] in Pausania, *huc ut venit, ab ephoris in vincula publica conjectus est*, in Photione, *ex consimili sententia in custodiam conjectus*, in Conone, *hujus nuntio parens cùm venisset in vincula conjectus est.* in Pelopida, *in vincula conjectus est.*

p. 8. Ibique diem obiit supremum] in Dione, *somno sopitus*

diem obiit supremum, in Timoleone, *hic cùm diem supremum obiisset*, ibidem, *Darius senectute diem obiit supremum*: De morte autem Milciadis Herodotus, & Val. Maximus l. 5. c. 3. inf. in Cimone.

p. 9. Cum summa humanitas, tum mira comitas] sic constanter mss. & vulgati omnes, idem in Attico, *itaq; ejus comitas non sine severitate erat, neq; gravitas sine facilitate.* V. C. Puteanus secutus hæc vestigia schedæ veteris excerptæ ex ms. Gidæ Vesanij *comuitas communitas*, legendum esse conjiciebat, sed ambigo, num receptum sit nomen in ea significatione apud Latinos auctores: *communio*, Sidonio nostro ep. 3. l. 2. vide notas ibidem, & infra in Attico.

Themistocles.

p. 9. Neocli filius] sic mss. & Ven. ex mente Probi, qui Græca nomina sic Latinè profert, in Agesilao, *ex duabus familiis Procli, & Eurysthenis.*

p. 9. *Acarnanam*] sic mss. & vett. præter Aldum & Lamb. qui *Halicarnassæam*, ex ingenio subtruserunt, de matre Themistoclis non conveniunt historici, vide Plutarchum, & Athenæum lib. 13.

p. 9. *Quod & liberius justo vivebat*] id est vino & venere diffluebat, Val. Maximus l. 6. c. 9. Plutarchus in Themistocle, & Ælianus de varia histor. lib. 2. Athenæus libr. 13. ex Teleclide.

p. 9. *Exheredatus est*] id est abdicatus, Neocles enim propter graves mores & solutam ado-

lescentiam, ei abdicationis inussit notam. Valerius, vide l. 8. C. de patria potestate. Inter justas autem abdicationis causas liberius vivendi morem & rem familiarem disperdendi numerat Quintilianus declam. 279. & 290.

p. 10. *Largitione magistratuum &c.*] idem decrevit Martianus imperat. Marcellinus comes in Chronico, Asporatio & Herculano Coss. Athenienses autem post pugnã Marathoniam præmonuit Themistocles, non finem, sed causam majoris belli fore, idcirco Athenienses ducentas naves fabricaverunt, Justinus l. 2.

Ut mœnibus ligneis] præter Herodot. Polyænum. 1. strateg. Aristotel. 1. Rhet. M. Tul. l. 10. ad Atticum ep. 7. & l. 3. offic. Valerium l. 6. c. 5. in externis

exemplo 2. Frontinum l. 1. strateg. c. 3. Justinus l. 2. *Adventante igitur Xerxe, consulentibus Delphis oraculum responsum fuerat salutem muris ligneis tuerentur, Themistocles navium præsidium demonstratum ratus, persuadet omnibus, patriam municipes esse, non mœnia: civitatemq; non in ædificiis, sed in civibus positam: melius itaq; salutem navibus, quàm urbi commissuros; hujus sententiæ etiam Deum auctorem esse.*

Majoribus natu] id est senioribus, & ætate provectis, in Iphicrate, *ut non solùm ætatis suæ cum primis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquam anteponeretur*, in Timotheo, *non cessit majorum natis auctoritati*, id est Timothei, & Iphicratis veterum Imperatorum, ut ipse interpretatur

Varro apud Nonium, & Valerius Maximus libr. 2. cap. 1. exemplo 9, *tanquam majores natu adolescentium communes patres essent*, ibidem exemplo sequenti. *Majores natu, &c.*

p. 12. *Ex adversum*] sic mss. in Thrasybulo, *cum quidam ex adversus Thrasybulum fortissimè pugnaret.*

p. 12. *Pares esse posse ajebat*] sic mss. in Alcibiade, *nam postquam exercitui praesse ceperat, neq; terra, neq; mari, hostes pares esse potuerant*, vulgò antea legebatur, *pares esse ajebat*, quæ lectio retineri potest, in Hannibale, *dolo erat pugnandum, cum par non esset armis*, in Eumene, *intelligeretq; se parem non esse paratis adversariis.*

Cujus flamma] sic ex mss. e-

mendavi: vulgati omnes *fama*, idem in Miltiade, *nescio quo casu nocturno tempore incensus est, cujus flamma ut ab oppidanis & oppugnatoribus est visa, &c.*

p. 12. *Ad regem misit*] id est Xerxem, de quo Themistoclis strategemate Herodotus lib. 8. Frontinus l. 2. c. 2. Polyænus l. 1. & Justinus l. 2.

p. 12. *Ingratis*] sic mss. rectè, non semel apud Plautum, Giphanius in indice Lucretiano.

p. 13. *Ut pons dissolveretur*] de hoc etiam Themistoclis strategemate, præter Herodotum & Polyænum, Justinus l. 2. & Frontinus l. 2. c. 6. *Themistocles victo Xerxe volentes suos pontem rumpere, prohibuit, cùm docuisset potius esse eum expelli ex Europa, quàm cogi ex desperatione pugnare: idem misit ad eum qui judicaret, in quo periculo esset, nisi fugam maturaret.*

p. 14. *Sive sacer esset, sive privatus*] sic mss. rectè, in vulgatis, *sive prophanus* legitur, quod glossema non agnoscunt mss. de hoc autem Themistoclis strategemate, Thucydides l. 1. Diodorus 11. Frontinus 1. c. 1. Justin. 2. Pausanias 1.

p. 15. *Professus est*] sic ms. meus Ven. Paris. Ald. ms. Gi. Put. Col. *prosecutus* habent.

Testarum suffragiis] sic mss. G. P. & vulgati, in Cimone, *nam testarum suffragiis, quod illi ostracismum vocant, decem annorum exilio multatus est.* ms. meus, *testularum*, in Aristide, *tamen à Themistocle collabefactus testula illa exilio decem annorum multatus est*, de ostracismo præter cæteros eleganter Prosper Aquita. & Joan. Tzetzes, var. hist. Chil. 13. c. 489.

p. 15. *Ejectus*] in Miltiade, *hac*

populus respiciens maluit eum innoxium plecti, quàm se diutius esse in timore.

p. 16. *Scio pleroſque*] præter auctores, quos laudat Plutarchus. Valerius l. 5. c. 3. *Themiſtocles eorum qui ingratam patriam experti ſunt celeberrimum exemplum, cùm illam incolumẽ, claram, opulentam, principem Græciæ reddidiſſet, eouſque ſenſit inimicam, ut ad Xerxis quem paulò ante deſtruxerat non debitam ſibi miſericordiam perfugere neceſſe haberet*, idem l. 8. c. 7. exemp. 15. & l. 5. c. 3. in fine.

p. 17. *Annum mihi temporis des*] ſic mſ. meus Ven. P. C. L. Gi. Schedæ *annuum mihi tempus.* Put. mſ. *annum mihi temporis ſpatium.*

p. 17. *Verba feciſſe*] præter M. Tul. in Catone & Plutar. Valerius l. 8. c. 7. ſimili locutione in

Attico usus est, *sic enim Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur.*

p. 18. *De cujus morte* vide Plutar. Diodor. Valerium l. 6. c. 8. Suidam.

p. 18. *Multimodis*] sic mss. rectè ita Plautus non semel, & Lucretius, vide Juretum in Symmach. c. 13. l. 3.

Aristides.

p. 18. *Obtrectarunt inter se*] id est Aristides & Themistocles sibi invicem adversabantur, præter Plutarchum in ejus vita, & in Apophteg. Herodotus l. 8. & Valerius Max. l. 6. c. 5. exemp. 2. in externis.

p. 18. *Antistaret*] Sidonius ep. 14. l. 7. quò loci multa congessimus.

p. 19. *Ignorare Aristidem*] id est

non nosse⁀, Terentius Heau. Plautus Amphy. *nisi etiam is quoq; me ignorabit*, vnde sæpe apud eundem *ignobilis oculis meis*, id est ne quidem de facie notus. Festus l. 12.

p. 19. *Cedensq;*] præter Plutar. de Aristidis exilio Valerius l. 3. c. 3.

p. 19. *Postquam Xerxes*] vide Justinum l. 2. in fine, Herodotum in Urania⁀.

p. 20. *Paupertate*] præter Plutar. Aristidem, Herodotum⁀, Frontinus l. 4. c. 3. *idem præstiterunt Atheniensis filijs Aristidis, post amplissimarum rerum administrationem, in maxima paupertate defuncti.*

p. 20. *Vt qui efferretur, vix reliquerit*] in Cimone, *complures pauperes mortuos, qui unde efferrentur non reliquissent, suo sumptu extulit*, in Eumene, *am-*

plo funere extulit, in Attico, *in funere matris ſuæ, quam extulit annorum nonaginta.*

Pauſanias.

p. 20. *Regis gener*] id eſt vir ſororis, Cujac. obſervat. 6. c. 17. ita Pygmalio, *Sichæi gener* vocatur à Juſtino l. 18. cui nupſerat Sichæi ſoror Eliſſa, & Serſao Genſerici regis Wandalorum ſororius, à Gregorio Magno l. 3. dialog. c. 3. qui regis gener hoc loco, in Timoleone *affinis* appellatur, quò loci nonnihil inſpergam. Niſi malis ita interpretari, *regis gener*, id eſt regis Darij gener, cujus filiam Mardonius uxorem habebat in matrimonio, Herodotus l. 6. ſicut in Conone, Pharnabaſus *regis gener*, dicitur, ſcilicet Artaxerxis, Plutar. in Artaxerxe.

Cognita patefecit] sic mss. Ven. Colon. Paris. Ald. *cogitata* Lamb. in Datame, *quo neq; acutius ullius Imperatorum cogitatum*, quò loci Lambinus pro *cognita patefecit*, *conata perfecit* reponendum esse conjicit.

p. 22. *Scytala*] mss. Ven. *lana* legunt Col. Pa. *lancea* Al. La. *Scytala*, de qua Gellius l. 17. c. 9. Thucydidis scholiastes, l. 1. & Ausonius.

p. 22. *Hoc nuntio commotus*] sic mss. vulgati *motus*, in Datame, *quo nuncio Artaxerxes commotus*, in Dione, *sermonem retulerunt, quo ille commotus*, in Timoleone, *quibus rebus adeò ille est commotus*, iterum in Datame, *Pisida nova re commoti*, in Alcibiade, *his Lacon rebus commotus*.

p. 22. *Aditum petentibus &c.*] in Pausania vituperat, quod in

Miltiade laudavit, *in eo erat cum summa humanitas, tum mira comitas*, & in Alcibiade, *affabilis, blandus*, in Attico *hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur.*

p. 24. *Eamq; jam magno natu*] id est anum annis defectam, in Timotheo, *hic cum esset magno natu, & magistratus gerere desisset.*

Cimon.

p. 24. *Duro*] sic mss. veteres, & vulgati, præter Colo. qui *dire* habet.

p. 24. *Litem æstimatam*] supra in Miltiade, *pecunia multatus est, eaq; lis quinquaginta talentis æstimata*, in Timotheo, *hoc judicio damnatur Timotheus, lisque ejus æstimatur centum talentis.*

p. 24. *Custodia tenebatur*] præter Herodotum, & Plutar. Va-

lerius l. 5. c. 3. & c. 4. Justinus l. 2. in fine, & Quintil. decl. 303. in fine, *isti accusatores & Cimoni illi, qui patris corpus vicario corpore redemit crimen darent.*

p. 25. *Sororem germanam*] sup. in præfat. *neq; enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam habere in matrimonio, quippe cum cives ejus eadem uterentur inſtituto.* vide Plutar. quòd inſtitutum apud Perſas invaluiſſe patet ex Juſtino l. 11. vide Procopium.

p. 25. *Habebat enim ſatis eloquentiæ*] Saluſtius de Catilina, *habebat enim ſatis eloquentiæ*, vide notas in Sidoniũ l. 9. ep. 9.

p. 26. *Contendere Lacedæmonẽ*) ſic mſſ. & vulgati rectè, Inducto gloſſemate, ſententia perſpicua eſt, Cimon ſcilicet ante legitimum exilium Athenas revocatus eſt, quòd bellum Athenien-

fibus indixiſſent Lacedæmones, & quia eorum hoſpitio uſus erat, ut pacem inter eos & Athenienſes conciliaret, Lacedæmonem profectus eſt. Contendere Lacedæmonem, proficiſci eſt, Juſtinus l. 2. *ipſe cum paucis Abydon contendit*, idem l. 32. de Hannibale, *ad Pruſiam contendit*, in Timotheo, *& ut ſi in ſua manu eſſet fortuna, quo contenderat pervenit*, in Datame, *quò contenderat pervenit, hiſq; locis caſtra ponit*, in Eumene, *ſin per loca ſola contenderet, ſperabat ſe imprudentem hoſtem oppreſſurum*. Frontinus l. 1. c. 4. *flexit iter, quaſi Thebas contenderet*.

p. 27. *Quos invocatos*] ſic mſſ. vulgati *convocatos* Lambinus ex ingenio ſuffecit *non vocatos*, quod idem eſt ac invocatos Plautus. Vide Athenæum l. 12.

& doctiſſim. Caſaubonum ibi-
dem c. 8.

Lyſander.

p. 27. *De Lyſandro*] Thucydi-
des l. 5. Xenophon l. 2. Diodo-
rus l. 13. Polyænus l. 1. & 7.
ſtrateg. Juſtinus l. 5. Frontinus
l. 1. c. 5. l. 2. c. 1. l. 4. c. 1.

p. 27. *Confeciſſe*] in Alcibiade,
*nam Lyſander cum per ſpeculato-
res comperiſſet vulgũ Athenien-
ſium in terram prædatum exiiſſe,
naveſq; penè inanes relictas tem-
pus rei gerendæ non dimiſit, eoq;
impetu totum bellum delevit,*
præter Plutar. Diodorum l. 13.
Polyænum l. 1. Juſtinus l. 5. &
Frontinus lib. 2. c. 1. exemplo
ult. & Pompon. Mela. l. 2. c. 2.
inf. in Conone.

p. 28. *Ecce amici*] in Themi-
ſtocle, *non minus me bonum ami-
cum habebis, quàm fortem ini-
micum ille expertus eſt.*

p. 29. *Alicarnas*] sic mss. Ven. *Alicarnias*, vulgati *Halicarnassēus*.

Alcibiades.

p. 30. De Alcibiade Plato in Symp. Thucydides l. 6. Diodorus 13. Plutar. Athenæus, & M. Tul. passim, Valerius l. 1. c. 8. l. 3. c. 2. l. 6. c. 9. l. 8. c. 6. Frontinus l. 2. c. 5. & c. 7. l. 3. c. 2. c. 6. c. 9. c. 11. c. 12. & Justinus l. 4. & l. 5.

p. 30. *Consilij plenus*] sup. in Pausania, *in primis omnium Persarum & manu fortis, & consilij plenus.*

p. 30. *Laboriosus*] in Timotheo, *fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peritus.*

p. 30. *Natus in ampliſsima civitate*] sic mss. & vulgati, præter Al. & Lamb. qui *nam* habent, in fine vitæ Alcibiadis, *cum*

Athenis splendidissima civitate natus esset, in Attico, *igitur primum illud munus fortunæ, quod in ea potissimùm urbe natus est.*

p. 31. *Ac filius à parente*] præter Platonem, & Plutarch. Petronius, *non tam intactus Alcibiades in præceptoris sui cubiculo jacuit.*

p. 31. *Opera forensi*] opere mſ. meus, non ita rectè, *opella forensis* Horatio ep. 7. l. 1. Valerius l. 3. c. 8. *experimentum, cum efficacis operæ forensis, tum fidei non latentis.*

p. 33. *Eumolpidas & Cerycas*] sic Aldus, & Lambinus, mſſ. *Olympidas sacerdotes*, habent. Ven. *Olympiade sacerdotes*, de Eumolpidis & Cerycis plura congessit Lambinus, & Casaubonus in Athen. l. 14. c. 23.

p. 36. *Perinthum*] mſ. meus *Peryæ*, mſ. Put. *patere pactis*, Ven.

Al.

Al. *Pataram*, ex veteri codice Perinthum Longolius emendat, quem Lambinus sequutus est, ego utrumque.

Immodestia] in Lysandro initio, *non enim virtute sui exercitus, sed immodestia factum est adversariorum: qui quod dicto audientes imperatoribus suis non erant, dispalati in agris, relictis navibus in hostium venerunt potestatem.*

p. 33. *Superiores bello esse cepe-runt*] in Eumene, *cùm superior prœlio discessisset, Antigono est deditus*, in Attico, *neque multo post superior esse cepit Antonius.* In Photione, *quo facto populus superior factus.* in Hannibale, *nam quotiescumque cùm eo con-gressus est, in Italia semper di-scessit superior.* ibidem. *Ipse quo cornu rem gessit, fuit supe-rior.* in Datame, *ut inferior co-*

pius, ita superior omnibus prælis discederet.

p. 39. *Samineam*] sic mss. G. & meus atq; etiam vulgati. Lambinus *domum stramineam*, Giphanius, *circa casam*, Schoppius Veriss. 4. c. 8. *circa casam eam*, legendum esse conjiciunt, ms. Put *Samenam* habet.

p. 38. *His Lacon rebus commotus*] sic ms. meus, Ven. Al. Col. Par, ms. Put. & Giph. *his latoribus*, habent, id est nunciis, sed prior lectio magis arridet, *Lacon*, id est Lysander Lacedæmonius, in Agesilao, *id si sentiebat Laco*, id est Agesilaus Lacedæmonius, in Timotheo, *à quo cùm Laco pecuniam accepisset*, amica autem hæc locutio est auctori, ut infra in Timoleone consignabimus.

p. 40. *Vt nemo eum posset aquiparare*] in Themistocle, *ut i-*

psam urbem cum dignitate equi-
pararet.

Thrasybulus.

p. 40. *De Thrasybulo*] Xenophon l. 2. Diodorus l. 13. & 14. & 18. Valerius l. 4. c. 1. l. 5. c. 6. Justinus l. 5. Pausanias Atticis, Orosius 2. c. 17. l. 2. Plutar. in Politicis & in Lysia, Frontinus in lib. strateg.

p. 40. *Multa hic sine Alcibiade, &c.*] Cicero pro Murena, *hic multas res & magnas sine imperatore gesserat, nullam rem sine hoc imperator.*

p. 41. *Bellum his indixit*] Xenophon l. 2. Diodorus 14. Valerius l. 5. c. 6. Justinus l. 5. & ex eo Orosius l. 2. c. 17.

p. 41. *Clarissima civitatis*] in Alcibiade, *natus in amplissima civitate*, ibid. *cum Athenis splendidissima civitate natus esset,*

in Attico, *quod cum in eam civitatem se contulisset, quæ antiquitate, humanitate, doctrina, præstaret omnes*, in Conone, *cum ex ea sim profectus, quæ cæteris gentibus imperare consueverit.*

p. 41. *Ad vires, vimq; pugnantium*] ita vulgati omnes, ms. meus *ad vires nostrûm cujusque pugnantium*. Put. ms. *ad vires undeq; pugnantium.*

p. 41. *Matrem timidi &c.*] adagio cessit, vide Erasmum, Plautus, *qui in rebus dubiis timidus est, haud nauci est.* M. Tul. l. 6. ep. 15.

A fortuna vindicat] Vegetius l. 3. c. ult. *in prœliis amplius solet fortuna potestatis habere, quam virtus.*

p. 42. *Legem oblivionis*] Valerius l. 4. c. 1. in externis exemplo 4. Justinus l. 5. *& ne qua dissensio ex anteactis nasceretur, omnes jurejurando obstringun-*

tur, discordiarum oblivionem fore, vide Orosium l. 2. c. 17.

p. 43. *Pittacus*] præter Laërtium in ejus vita, & Plutar. in Politicis, Valerius l. 6. c. 5. in externis exemplo 1.

p. 43. *Non propria esse consueverant*] propria, id est diuturna, vide Donatum Andr. act. 5. sc. 5. & Nonium, Cassianum Col. 3. c. 10. & Symmachum epist. 15. l. 1.

Conon.

p. 43. De Conone Xenophon l. 2. & 4. Diodorus 14. Plutar. in Lysandro, Justinus l. 6. ex eo Orosius l. 2. c. 16. & l. 3. c. 1. Frontinus l. 4. c. ult. in fine, inf. in Chabria.

p. 43. *In eoq; ejus opera magni fuit*] sic ex conjectura V.C. Puteani, Lambinus emendavit rectè, in Datame, *namq; hic multis*

millibus regiorum interfectis, magni fuit ejus opera, in Catone, *magniq; ejus opera existimata est in prælio apud Senam*, mss. & veteres variant, ms. meus & Ven. *in eoq; ejus opere magnus fuit*, Col. *in eoq; opere magnus fuit*, Al. & Par. *in eoq; ejus opere magnus fuit usus*, in mss. Gi. & Put. *in eoq; ejus opere magni fuit*, qua lectione non parum juvatur conjectura viri docti.

p. 43. *Cum apud Ægos flumen*] ubi Lysander ad internecionem devicit Athenienses, in Lysandro initio, & in Alcibiade, sup. vide notas.

p. 45. *Venerari regem*] præter cæteros Justinus l. 6. *itaq; Conon diu rege per epistolas frusta fatigato, ad postremum ipse ad eum pergit: à cujus aspectu & colloquio prohibitus est, quòd eum more Persarum adorare nollet.*

reges enim Persarum se fratres solis & lunæ jactabant, & ut Deos adorari volebant, præter ea quæ notavi in Sidonium epist. 9. l. 8. elegantissimè Petrus Chrysologus, sermone 120. *neve simus ut Persarum reges, qui subjecta nunc pedibus suis sphæra, ut polum se calcare vites mentiuntur, nunc radiato capite ne sint homines, solis residentin figura, nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur in lunam, nunc varias velut syderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram &c.*
p. 45. *Classemq; qua proxima æstate mare tueri posset, compararet*] sic mss. & vulgati, librarij incuria, verbum illud *compararet* in editione Lambini desideratur, quod ne abundare videatur, in Agesilão, *namq; fama exierat Ariaxerxē comparare class.*

ſes, in Miltiade, *classem quingentarum navium comparavit*, p. 46. *Muros dirutos*] præter Xenophontem, Diodorum, Athenæum, & reliquos, Justinus l. 6. *itaq; quæ incensa fuerant, prædarum sumptu & exercitu Persarum restituit, quæ diruta, reficit.*

p. 43. *Magna de re*] sic ex fide mſ. mei & Gi. emendavi & dispunxi. mſ. Put. cum vulgatis, *magna festinatione.*

p. 44. *Dinon historicus*] mſſ. Put. & meus, cum vulgatis *Dion* habent, mſ. Longolij *Dimon* mſ. Gi. *Dinon*, quam lectionem expressit Lambinus, & Pari. de Dinone historico Athenæus l. 3. & 5. & Plutar. in Themistocle.

Dion.

p. 44. *De Dione*] Diodorus l. 13

15. 16. M. Tul. l. 5. Tuſ. quæſt. Valerius l. 3. c. 8. l. 4. c. 1. Plutarchus.

p. 44. *Sororem Dionis habuit in matrimonio*] in præfatione: *neque enim Cimoni fuit turpe Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam habere in matrimonio.* in Cimone, *habebat autem in matrimonio ſororem germanam ſuam.*

p. 44. *Affinitatem*] proprietatem hujus nominis obiter obſerva. affinitatem dixit, quod Dionyſius Ariſtomachem ſororem Dionis haberet in matrimonio, in Pauſania, *ſeq; tecum affinitate conjungi cupit, quare ſi tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum*, in Attico, *ut judicari poſſit plus in amicitia valere ſimilitudinem morum, quàm affinitatem*, videlicet quia ſoror Attici Quinto Tul. Ciceroni

nupta erat, unde *affinis* in Timoleone vir ſororis appellatur, quem locum ni piget vide.

p. 48. *Tegebat*] ſic mſſ & vet. Lambinus ex conjectura, *leniebat*. Al. *tenebat*.

p. 48. *Suſpexerunt*] ſic ex mſſ. emendavi, vulgati *ſuſceperunt*, in Ageſilao, *in hoc non minus ejus pietas ſuſpicienda eſt, quàm virtus belli a.*

p. 51. *Ex ſecunda rhapſodia*] Οὐκ ἄμεινον πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεὺς, ᾧ ἔδωκε Διὸς παῖς ἀγκυλομήτεω. *Homeri rhapſodia*, l. librorum §. ſi Homeri ff. de legat. 3.

p. 53. *Qui ſe metui, quàm amari malunt*] in Timoleone, *maluit ſe diligi, quàm metui*, Sidonius noſter ep. 2. l. 1. de Theodorico rege Gothorum, *timet timeri*, vide notas.

Iphicrates.

p. 54. De Iphicrate Aristoteles. 1. rhet. Xenophon l. 6. Diodorus 13. 15. & 16. Polyænus 3. strateg. Athenæus l. 4. & l. 12. Plutarchus, Frontinus, passim Suidas, Justinus lib. 6.

p. 55. *Peltam*] præter Servium. 1. Æneid. & Lactantium l. 5. & 7. Thebaidos, atque Isidorum l. 18. c. 12. vide D. Hyeronymũ, & Eucherium in libros regum.

p. 55. *Peltastæ*] præter Diodorum l. 13. & Suidam, vide Rigaltij nostri Glossarium, *peltati*, Lactantio.

p. 55. *Sertis*] sic mss. & Ven. rectè, reliqui *ferreis*, sertas autem loricas, intellige consertas hamis & laminis. Virgilius 3.

Loricam consertam hamis,

idem 5. *Levibus huic hamis consertam, auroque trilicem*
Loricam.

idem 11. *quem pellis ahenis*
In plumam squamis, auroq; inserta tegebat.

idem 3. *Consertum tegmen spinis.*

p. 54. *Vt non solùm ætatis suæ*] Justinus l. 6. *hujus adolescentis supra ætatem virtus admirabilis fuit, nec unquam ante eum Athenienses inter tot tantosq; duces, aut spei majoris, aut indolis maturioris imperatorem habuerunt.* Orosius l. 3. c. 1.

p. 55. *Moram Lacedæmoniorum intercepit*] sic mss. meus Al. Col. Paris. Lamb. mss. Pute. & Ven. *interfecit*, utraq; lectio elegans est, moram, id est cohortem, ex etymologici auctore & aliis, Lambinus notat eleganter.

p. 55. *Conductitio*] sic mss. rectè vulgati *conducto*, in Chabria, *fugatis jam ab eo conductitiis catervis*, id est mercede conductis, mercenariis, ut ipse loquitur in Timoleone.

p. 56. *Imperatoria forma*] Capitolinus in Pertinace, vide notas in Sidonium ep. 2. l. 1. est autem magna corporis dignitas quæ non minimum commendatur, ut ipse loquitur in Dione, unde ipso aspectu cuivis Iphicrates injiciebat admirationem sui.

p. 56. *Theopompus*] sup. in Alcibiade Theopompus, *qui fuit post aliquanto natus, & Timæus, qui quidem duo maledicentissimi nescio quomodo in illo uno laudando consenserunt* : de quo etiam Athenæus l. 12. vide Casaubonum in Athenæum l. 3. c. 8. & l. 10. c. 12. Plutarchum in Timoleone & Harpocrationem in voce ἀμάδοκος & in ἀτιμίας, in ἐλόννησις in ἀμφικτύονες Stephanum de urbibus in voce Ἄδρυς.

p. 56. *Causam capitis semel dixit*] in Photione, *ab eodem in judicio*

cum capitis causam diceret defensus aliquotiens, liberatus discesserat, reus autem capitis postulatus est & accusatus proditionis inf. in Timotheo, vide Polyænum, 3. strateg. & Plutar in Apopht.

p. 56. *Coti filia*] ex Anaxandride Athenæ, initio l. 4. & Seneca. Quod in sapientem non cadit injuria c. 18.

Chabrias.

p. 56. *De Chabria* Xenophon l. 4. & l. 5. Diodorus l. 15. 16. Athenæus l. 12. Polyænus strateg. l. 2. Frontinus l. 1. c. 4. in fine & c. ult. Plutarchus in Photione, inf. in Epaminonda.

p. 57. *Obnixoq; genu*] de hoc habitu ad præliandum composito, Diodorus 15. Polyænus strateg. l. 2. quid simile de barbaris Marcellinus, & (ni memoria fallit) D. Ambrosius,

p. 57. *Conflatum bellum*] in Eumene, *interim conflata sunt bella, quæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt.*

p. 57. *Sua sponte eos adiutum profectus*] in Agesilao, *sero suis præsidio profectus est*, in Timotheo, *Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est.*

p. 58. *Vivebat lautè*] vide quæ refert Athenæus l. 12. ex l. 13. Philippicorum Theopompi historici.

p. 58. *Opulentium intuentur fortunam*] sic mss. rectè. Schoppius l. 2. c. 3. veriss. quoad sententiam, in Pausania, *epulabatur more Persarum luxuriosius, quàm qui aderant perpeti possent.* vide Valerium l. 2. c. 5. ex 5.

p. 58. *Itaq; Conon Cypri vixit*] hæc ex Theopompo trãscripsit Cornelius Nepos, Athenæus l. 12. ex l. 13. Philippicorum Theo-

pompi, quem vide, & Justinum l. 5. & l. 6.

p. 58. *Eumque magis milites*] de Miltiade sup. *erat enim inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine*, ibidem in fine.

p. 59. *Armis abjectis*] præter ea, quæ Lambinus in hunc morem eruditè collegit, quæve Godescalcus in Vegetium infigit l. 2. c. 14. vide Senecam de beneficiis l. 5. c. 2. inf. in Hamilcare.

Timotheus.

p. 59. *De Timothea* M. Tul. 1. de offic. & 3. de orat. & alias, Diodorus l. 15. Xenophon l. 5. Athenæus 13. Plutarchus, Ælianus de varia historia l. 13. Frontinus l. 1. c. ult. & l. 2. c. 5. sup. in Chabria.

p. 60. *Ut cùm esset magno natu*] id est senex, sup. notatum in

Pausania, grandis natu senex dictus fuit à veteribus, Donatus Adelph. act. 4. sc. 5. *grandem ad ætatem veteres retulerunt, non ad corpus, non in tota vita, nisi si addatur natu, ut grandis natu parens adductus ad supplicium*, idem in Phormione act. 2. sc. 3. *propriè grandis ad speciem refertur ætatis, ut grandis puer, grandis virgo, & grandis natu senex dicitur*, ita ex mss. restituit hunc locum, Lindenbruchius Germana fide.

p. 61. *Quò contenderat pervenit*] in Datame, *quò contenderat pervenit*.

p. 61. *Damnatur Timotheus*] sup. in Iphicrate, *causam capitis semel dixit, bello sociali simul cum Timotheo*.

p. 62. *Quàm hospitij*] sup. in Cimone, *ille quòd hospitio Lacedæmoniorum utebatur*, in Themi-

flocle, *ad Admetum Molossum regem cum quo ei hospitium fuerat, confugit.*

Datames.

p. 62. *De Datame*] Diodorus l. 15. Polyænus l. 7. Frontinus l. 2. c. 7.

p. 62. *Manu fortis*] in Pausania, *& manu fortis & consilij plenus*, in Epaminonda, *peritus belli, fortis manu*, in Timoleone, *nam & manu fortis & belli peritus fuit.*

p. 65. *Imprudentem parva manu oppressurum*] sic mss. à quibus abest *& imparatum*, in Eumene, *& quoniam imprudentem adoriri non posset*, ibidem, *sperabat se imprudentem hostem oppressurũ*, vulgata lectio probari potest, in Agesilao, *quo factum est, ut omnes imparatos imprudentesq; offenderet.*

Accredidit] sic mss. quod verbum Plauto familiare est, & Lucretius non respuit l. 3.

p. 67. *Maximo natu filius*] sic mss. & veteres Paris. maximus natu, in Agesilao, *primum ratio habebatur, qui maximus natu esset ex liberis ejus &c.* vetus lectio temerè rejicienda non est.

p. 70. *Hanc ut recepit à rege*] sic ms. meus & Gif. Col. Paris. Ven. & Ald. *hanc ut recepit à rege missam*, ms. Put. *accepit* sup. in Themis. *Inde non prius egressus est, quàm rex data dextra in fidem reciperet, quam præstitit.*

p. 70. *Amicitiam cum Datame facit*] in Alcibiade, *Lacedæmonij cum Perse rege amicitiam fecerunt*, sup. in Datame, *clam cum Ariobarzane facit amicitiam.*

Epaminondas.

p. 71. *De Epaminonda*] passim omnes, quorum iniri numerus per notulam vix potest.

p. 71. *Apud Græcos*] in præfatione, *quis musicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari saltasse eum commodè scienter q3 tibiis cantasse.*

p. 73. *Collocare non posset*] sic mss. appositè, in Aristide, *& de communi ærario dotibus datis collocarentur*, in Attico, *nata est autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat.*

Societatem facere] in Eumene, *persuadere Eumeni studuit, ut ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem.*

p. 78. *Vt in periculo suo inscriberent*] sic mss. Ven. Col. Paris. & Lamb. nec est quod Aldus *in sepulchro suo*, & Longolius *perystilio* legant, *perieulo*, id est breviculo & sententiæ indice, doctiss. Cujacius paratit. in tit. Codicis 44. de sent. ex periculo

recitandis, & obser. l. 5. c. 25. quò loci, hunc Cornelij locum exposuit, cujus sententiæ Lambinus ultrò adstipulatus est, nec nõ omnes viri docti. unde miror Schoppium in alienissimum sensum hæc verba contorsisse, l. 4. c. 18. veriss. præter ea, quæ Cujacius notat, Cicero in Verrem, l. 3. *ordo est honestus, quis negat? aut quid ea res ad hanc rem pertinet? est verò honestus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaq; magistratuum committuntur*, Magno in libro notarum, D. P. *de periculo*, D. L. *de libello*. D. C. S. *de consilij sententia*. Collatio Carthaginensis 11. c. 68. *memores periculi, & professionis propriæ exceptores constituto die, &c.*

p. 78. *Animam emissurum*] sic ex mss. emendavi, ita *efflare animam*, dixit in Paulania, *emitte-*

re spiritum, Marcianus in l. 18. §. in quibus, de rebus dubiis, & non semel Damasus de vita Pontificum, jocosè Plautus, *cave ne quid emittat anima*.

p. 79. *Domo se tenuit*] sic mss. Ven. *domum se retinuit* Ald. Par. Lamb. *domi se retinuit* Col. *domo s. r.* in Eumene, *tenuit autẽ se uno loco, quandiu fuit hyems*, in Hannibale, *Hannibal enim uno loco se tenebat in castello*, pro vulgata lectione facit, quod legitur in Cimone, *cum à conventu se remotũ Dion domi teneret*.

p. 79. *Contra ea*] sic mss. vulgati, *cum ea*, non ita consonè, in præfat. *contra ea pleraq; nostris moribus sunt decora*, in Alcibiade, *contra ea si quid adverse accidisset*, in Iphicrate, in fine, *nam pater quantum in se fuit Thracem me genuit, vel creavit, contra ea mater Atheniensem*, in

Agesilao, *contra ea Tisaphernes nihil aliud, quàm bellum comparavit*, ibidem, *contra ea plurima patientia atq; abstinentia*, sic mss.

Pelopidas.

p. 80. *De Pelopida*, Plutarchus, Xenophon l. 5. Diodorus 15. Polyænus l. 2. strateg. Frontinus l. 3. c. 8. & l. 4. c. 7. sup. in Epaminonda.

p. 83. *In vincula conjectus est*] vide sup. in Miltiade, Scævola in l. 4. §. item qui. ad l. Jul. Majest. *Qui confessum in judicio reũ, & propter hoc in vincula conjectum emiserit.* Ulpianus l. 3. de Custo. & exhibit reor. *non esse in vincula conjiciendum eum.*

p. 80. *Sed historiam videar scribere*] Sidonius ep. 2. l. 1. in fine, & ep. 3. l. 3. vide notas.

p. 82. *Duce Pelopida*] sup. in Epaminonda, *quo tempore du-*

ce Pelopida exules Thebas occuparunt, & præsidium Lacedæmoniorum ex arce expulerunt.

Agesilaus.

p. 83. *De Agesilao*, Xenophon, Herodotus l. 7. Athenæus, Valerius, Justinus, Plutarchus, Polyænus, Frontinus sup. in Chabria.

p. 85. *Bellum apparavit*] sic mss. in Hannibale, *cum in apparando acerrimè esset occupatus*, in Eumene, *quotiescunque voluit & apparatum, & munitiones Antigoni alias incendit, alias disjecit*, in Alcibiade, *id cum appararetur*, Justinus l. 6. *magnus igitur amborum apparatus belli*, Orosius l. 2. c. 6. *in ipso apparatu concidit.*

Exercitum exercitatissimum] Sidon ep. 3. l. 3. *exercitum exercitatissimum stupor obruit.*

p. 89

p. 89. *Claudus altero pede*] Justinus l. 6. Plutarchus.

p. 89. *Corpore exiguo*] Athenæus l. 14. ex Theopompo.

Eumenes.

p. 90. *De Eumene*, Diodorus lib. 17. & 18. Plutarchus, Frontinus l. 4. c. 7. inf. in Hannibale.

p. 95. *Posterioribus cogebat exultare*] sic ex ms. meo emendavi, præter Diodorum & Plutarchum, Frontinus hanc optimi Codicis lectionem admodum confirmat, *Eumenes Sardianus ex successoribus Alexandri in castello quodam clausus, quò exercere equos non poterat, certis quotidie horis ita suspendebat, ut posterioribus pedibus innixi, prioribus allevatis, cùm naturalem assistendi appetunt consuetudinem, ad sudorẽ undiq; crura jactarent.*

p. 93. *Qui summam imperij poti-*

rentur] sic mss. & vett. Accius, *natus virtute sceptrum potiretur patrio*, Justinus l. 1. *duos & quadraginta annos post Ninum regnum potita* l. 12. *Qui postea regnum Indorum potitus est*, vide Nonium, & Priscianum l. 18.

p. 95. *Castra sub divo*] sic ex ms. meo optimæ notæ emendavi, ms. Gif. *Castra subsidio*, Put. *Castrum subsidium*, vulgati, *castrum subsidia*, qui locus ita dispunctim emendatus perspicua non caret elegantia sup. in Pausania, *tectumq; sunt demoliti, quò celerius sub divo interiret.*

p. 96. *Paratacis*] mss. & vulgati omnes, quos mihi videre contigit *impar ætatis* legunt, ingeniosè neque minus verè Lambinus ex Diodoro l. 19. in Parætacis legendum esse conjecit, atq; ita in Schedis Gifanij expressum legitur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0370
DFG

p. 97. *Loca sola*] id est loca deserta, quæ nemo incoleret, ut ipse interpretatur, præter Lucretium l. 6. & Propertium ,. Salustius *loca sola & nuda gignentium.*

Deuteretur] ita mss. veteres. & vulgati præter Lamb. qui *se uteretur* legit.

Phocion.

p. 102. *De Phocione* Plutarchus abundè in ejus vita, in Politicis, & alias, Ælianus l. 1. Diodorus l. 18. Polyænus l. 4. Athenæus l. 10. Val. Maximus l. 3. c. 8. l. 5. c. 3. Suidas.

p. 102. *Magistratus cepit*] in Attico, *honores non petiit cum ei paterent, propter vel gratiam, vel dignitatẽ, quod neq; peti more majorum, neq; capi possent conservatis legibus*, ibidem, *nullum ab eo habebat ornamentũ ut cæteri, qui per eum, aut honores, aut di-*

vitias ceperant, ibid. *ut Marci Bruti rogatu Iuniam familiam à stirpe ad hanc ætatem ordine enumeraverit, notans, qui à quo ortus, quos honores, quibusque temporibus cepisset.* Sidonius ep. ult. l. 9. in carmine, *capiens honorem*, vide notas.

p. 102. *Bonus est appellatus*] præter Plutarchum in Phocione, & l. de musica, & Suidam. Valerius l. 8. c. 3. exemp. 2. *placidi & misericordes & liberales omnique suavitate temperati mores Phocionis, quos optimè profectò consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit.*

p. 102. *A populo dabantur*] sic mss. Ven. Col. Ald. Paris. Lambinus *mandabantur*, in Pelopida, *hac mente amicis suis summas potestates dederant.*

p. 104. *Pervenisset*] sic mss. Ven. Colon. Ald. Paris. *permansisset* Lambinus.

p. 104. *Ex consimili sententia*] sic mss. & vulgati omnes, quæ lectio non rejicienda videtur, & hac mente accipi potest: consimili sententia, qua antea Phocion in carcerem conjectus, & in exilium erat expulsus, iterũ reus proditionis actus, in carcerem conjectus est. conjecturam tamen Puteani, & Lambini, testatam volo, qui ex consilij sententia legunt: Magno libro notarum D. C. S. *de Consilij sententia*, videndus Cicero ad Atticum epist. 17. l. 7. præterquam quod eorum conjectura hac concepta decernendi formula juvatur, more etiam Athenienſium comprobatur, in Eumene, *de hoc Antigonus cum solus constituere non auderet, ad consilium retulit*, postea, *sic cognita consilij voluntate, tamen usq; ad septimum diem deliberan-*

di sibi spacium reliquit.

p. 104. *Athenas deductus est*] ut scilicet causam capitis diceret, vide Diodorum l. 18. & Plutarchum in Phocione. obiter observabis reos honoratiores Athenas missos fuisse, ut magistratibus traderentur, utq; legitimis confectis, aut absolverentur, aut addicerentur, quod & apud Romanos invaluit, notæ ad Sidonium ep. 7. l. 7. quibus moribus & Senatusconsultis locum dedit in suis capitularibus Carolus Magnus.

p. 104. *Sepelire*] quia lege Attica non concedebatur proditionis damnatos sepelire, in Themist. in fine, præter Diodorũ, & Plutarchum, Valerius l. 5. c. 3 *Phocion verò his dotibus, quæ ad pacandum hominum potentissimæ judicantur, eloquentia & integritate instructissimus, non tantũ*

eculeo ab Athenienſibus impoſitus eſt, ſed certè poſt obitum nullam Attica regionis, quæ oſſibus ejus injiceretur glebulam invenit, juſſus extra fines projici, intra quos optimus civis vixerat.

Timoleon.

p. 104. *De Timoleone* vide Diodorum l. 16. Plutarchum, Polyænum l. 5. ſtrateg. Suidam.

p. 105. *Per aruſpicem communemque affinem*] id eſt per Satyrum Orthagoram, ex Theopompo Plutarchus, *affinem*, id eſt ſororium, ſororis virum, vel interprete Cornelio Nepote, *communemq; affinem, cui ſoror ex iiſdem parentibus nata, nupta erat*, vide notas ſup. in Dione: præterea fic intellige Val. Max. l. 2. c. 7. exemp. 7. *Mars imperij noſtri pater, ubi aliqua ex parte à tuis hoſpitiis degeneratum erat, numen*

tuum propiciabatur affinium & cognatorum & fratrum nota, filiorumq; strage, ignominiosa consulum ejuratione, si quis ambigat, quin ita Valerij locus accipiendus sit, totum caput percurrat & ambiguo locus non erit, idem Valer. ejusdem lib. 1. c. 1. exemp. 7. *aliquando nec pater cum filio pubere, nec socer cum genero lavabatur. manifestum igitur est tantum religionis sanguini, & affinitati, quantum ipsis diis immortalibus tributum*, sanguini quia pater cum filio, affinitati quia socer cum genero non lavabatur, Ausonius in parentalibus. carm 16. lemma, *Pomponius Maximus affinis*, cur affinis dicatur, ratio sequitur: *Conjux namq; mea tu consociate sorori*, idem carm. 21. *Verum tu nostra soror es germana Sabina.*

Affinis quoque tu Regule nomen habes.

Si plura desideres, vide notas in Sidonium carmine 5. & car. 20. inf. in Attico.

p. 105. *Quibus rebus adeo ille est commotus*] sic mss. vulgati *verbis*, in Alcibiade, *his Lacon rebus commotus statuit accuratius sibi agendum cum Pharnabazo*, in Eumene, *his rebus Eumenes permotus satius duxit &c.* in Datame, *Pisidæ nova re commoti.*

p. 107. *Vacuefactas possessiones*] id est desertas, in Cimone, *Scyrum quam eo tempore Delopes incolebant, quòd contumacius se gesserat vacuefecit*, Valer. Max. l. 2. c. 7. exemp. 1. *hac turpi atque erubescenda sentina vacuefactus noster exercitus.*

p. 207. *Phanagi deserta*] sic mss. Ven. Paris. Col. Ald. Lambinus *diruta* reposuit, sup. *deser-*

tas urbes videret, in Hamilcare, *ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, nisi cum deserta est.*

p. 108. *Vectus jumentis*] propter valetudinem, sup. in Phocione, *cum propter ætatem pedibus jam non valeret, vehiculoq; portaretur.*

p. 110. *Majorq; enim annos sexaginta natus*] sic mss. & vulgati, simili locutione in Hannibale, *minor quinque & viginti annis natus*, id est *immatura ætate*, Justinus l. 29.

Hamilcar.

p. 111. *De Hamilcare* Polybius l. 1. passim historiæ Romanæ scriptores Livius, Appianus, Florus, Justinus, præter quos Valer. l. 1. c. 7. exemp. 8. l. 4. c. 3. l. 9. c. 3. exemp. 2. Frontinus l. 1. c. 1. & l. 3. c. 16.

p. 111. *Barca*] præter Polybium

l. 1. vide notas in Sidonium carmine 2. & 5. quibus adde quod ait Frontinus l. 3. c. 10. *Barca dux Pœnorum, &c.*

p. 112. *Manus dedissent*] Sidonius Polemio ante carmen 13. *do quidem absens obtrectatoribus manus*, ne dictum dicere videar, vide notas.

p. 112. *Flagitio*] arma enim adversarijs tradere flagitium erat, sup. in Chabria in fine.

p. 112. *Abalienata*] mss. sup. paulò ante, *hi totam abalienaverunt Africam*, in Agesilao, *quod Tissaphernes perjurio suo, & homines suis rebus abalienaret*, vulgati *alienata*, in Cimone, *alienatas ad officiũ redire coëgit.*

p. 113. *In Hispaniam mitteretur*] sic mss. in Alcibiade, *cum ei nuncius à magistratu in Siciliam missus esset*, in Eumene, *ossaque in Macedoniam uxori ejus ac li-*

beris remisit, in vulgatis *in* deest, in Cimone, *Cyprum cum ducentis navibus imperator missus*, in Themistocle, *tresq; legati functi summis honoribus Athenas missi sunt*, in Lysandro, *sed etiam legatos Lacedæmonem miserunt.*

p. 124. *Patris obtestationibus*] præter Polybium l. 2. Livium 21. & 35. inf. in Hannibale, Valerius l. 9, c. 3. *quam vehemens deinde adversus populum Romanum Hamilcaris odium? quatuor enim puerilis ætatis filios intuens ejusdem numeri catulos leoninos in perniciem imperij nostri alere se prædicabat.*

Hannibal.

p. 114. De *Hannibale* passim omnes historiæ scriptores Græci & Latini.

p. 114. *Animam deposuerit*] in Pausania, *atq; eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.*

p. 114. *Alienarum opum indigeret*] sup. in Timoleone, *quem ille à patre expulsum Alexandria, alienarum opum indigentem receperat.*

p. 115. *Adiit ad Regem*] sic mss. rectè, in Themistocle, *ut Lacedæmonem venit, adire ad magistratus noluit*, postea, *hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedæmoniorum adiit*, in Dione, *homo & callidus & ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide, adit ad Dionem.*

p. 115. *Divina res dum conficiebatur*] id est dum sacrificabatur, & Jovi optimo maximo hostiæ immolabantur, Nonius c. 4. *facere rem divinam, religionibus exhibere*, vide notas in Sidonij epist. 17. l. 5.

p. 115. *Tenentem jurare jussit*] Valerius l. 9. c. 4. in exter. ex-

empl. 3. *è quibus Hannibal maturè adeò patris vestigia subsecutus est, ut eo exercitum in Hispaniam trajecturo, & ob id sacrificante, novem annorum natus, altaria tenens juraret, se, cùm primum per ætatem potuisset, acerrimum hostem pop. Rom. futurum; ut pertinacissimis precibus instantis belli commilitium exprimeret.*

p. 116. *Apud Trebiam*] sic mss. in Cimone, *apud Mycalen*, & alias non semel. Salustius, *apud Lete oppidum, apud Ilerdam, apud Prenestе, apud Mutinam.* Priscianus l. 15. vulgati *ad* quam lectionem asserit, Orosius l. 4. c. 14. ubi & *apud Tylinum* legitur.

p. 117. *Callidissimus*] sic mss. & veteres, præter Venetos, qui *clarissimus* legunt, sup. in Timoleone, *non incommodum videtur non præterire Hamilcarem*

& Hannibalem, quos & animi magnitudine & calliditate omnes in Africa natos præstitisse constat.

p. 121. *Venenatas serpentes*] præter Frontinum l. 4. c. 12. Justinus l. 32.

p. 123. *Venenum*] præter Livium 39. Appianum, Valerium, l. 9. c. 2. Plutarchum, Justinum l. 32. in fine, Varro in fragmentis, Orosius l. 4. c. 20.

Cato.

p. 124. *De Catone*] Plutarchus, Cicero passim, Livius, Valerius, Frontinus, Orosius, & reliqui Romanæ historiæ scriptores.

In eo libro] cujus fragmentum elegans vide ex Gellio l. 2. c. 8. sup. in fragmentis.

p. 126. *Delegamus*] sic mss. & vulgati omnes, rectè, Seneca de beneficiis l. 4. c. 11. *debitores*

nobis Deos delegat, precaturque, ut illi pro se gratiam referant, facit ad conjecturam Lambini. Plinius l. 7. c. 1. *potiusq; ad auctores relegabo.*

P. Atticus.

p. 126. *Pomp. Atticus*] sup. in præfat. *non dubito fore plerosq; Attice*, in Catone, *rogatu T. Pomponij Attici.*

p. 127. *Neq; eo secius*] familiaris auctori locutio, in Milciade, *neq; eo secius Atheniensibus, aut quibuscum erat profectus*, in Conone, *Conon nihilo secius apud præfectos regis versabatur*, ibidem, *per me nihilo secius editis mandatis conficies*, in Dione, *mulieres nihilo secius Calicratem in eadem Proserpina deducunt*. in Eumene, *neq; eo secius bellum administravit*, in Hannibale, *ille nihilo secius exercitui postea præ-*

fuit, inf. in fine, *tamen propositum nihilo secius peregit.*

p. 128 *Versuram facere*] sic mss, inf. *nec post calamitatem versuram facere potuisset*, quid sit autem versuram facere, vide Donatum.

p. 128. *Communis infimis*] id est blandus & affabilis, comis & obvius, infimæ conditionis hominibus, Dositheus Magister l. 3. ms. ex bibliotheca Cl. Puteani V. C. *omnibus communem esse*, πᾶσι κοινὸν εἶναι. Probus hujus libri exscriptor potius quam auctor, in carmine ad librum de Theodosio imp. loquens.

Communis cunctis hominem se regna tenere,
Sed meminit, vincit hinc magis ille homines.

Sidonius in Concione l. 7. vide notas, & sup. in Milciade in fine.

p. 128. *Phidiæ locis*] sic mss. Ursinus & Schoppius l. 3. verisc. 8. filiæ emendant, num rectè illi viderint. adolescentulus enim Athenas se contulit, hîcque complures annos moratus est, filiam autem Agrippæ nuptum dedit inf.

p. 130. *Affinitatem*] vide sup. in Dione, & in Timoleone ibidem notas, conjunctionem Justinus dixit l. 6. *porro Pisandrus pro conjunctione Agesilai etiam virtutum æmulator erat*, id est affinitate, erat enim uxoris ejus frater inf. *Agrippa potissimum ejus deligeret affinitatem, præoptaretq; equitis Romani filiam generosarum nuptiis.*

Steterit] sic ms. meus, ms. Peta. & Longol. præstiterit, Lamb. fisterit, quas lectiones testatas volo, veterem retineo, Cato, *quid si vadimonium capite obvoluto stitisses.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0386
DFG

p. 131. *Vsus est ætatis vacatione*] quòd scilicet haberet annos circiter sexaginta, Quintilianus dela. 306. *est præcipuum jus senectutis, quoniam non una subit omnis ætas, non perpetuo senatorem citat consul, est sua legationibus requies, cum hos habueris annos, jam non militabis*, sup. in Timotheo, *hic cum esset magno natu & magistratus gerere desisset*, vide notas in Sidonij ep. 6. l. 1.

p. 132. *Necis causa*] sic constanter mss. & vulgati omnes, quæ lectio temere immutanda non est, cum ex ea mens auctoris appareat: necis causa datæ erant provinciæ à consulibus, Bruto & Cassio Cæsaris interfectoribus propter cædem illatam Julio Cæsari, conjecturæ Cujacij V. Doctiss. qui dicis causa legit plurimum tribuo

l. 5. c. 33. observat. Sed à libris sto adversus eam.

p. 135. *His igitur rebus effecit*] sup. in Agesilao, *his igitur rebus effecit, ut & ornatissimum & exercitatissimum haberet exercitum.*

p. 144. Variæ lectiones in fragmentis Corneliæ Gracchorum matris ex mss. meo, Giphanij, & Petavij.

ibid. Meus ms. ita miniatis literis titulum inscribit; *Verba Cornelia Gracchorum matris, ex Cornelij Nepotis libro excerpta*, ms. Petavij, aureis literis, *verba Cornelia Gracchorum*, Giphanij ms. auctior ita titulum præfert, *verba ex epistola Cornelia Gracchorum matris, ex libro Cornelij Nepotis de Latinis historicis excerpta.*

ibid. *Dicis*] sic mss. meus, Giph. *dices*, Pet. *lices*, inemendatè,

p. 145. *Nunc*] sic mss. meus & Giph. ms. Pet. *non*.
ibid. *Praterquam qui*] sic mss. Giph. & Pet. in meo, *qui* desideratur.
ibid. *Quos antehac habui*] sic ms. meus, & Giph. *quos antehabuerim*, legit ms. Pet.
ibid. *Partes eorum*] mss. omnes *partis*, *eorum* deest in meo.
Adverseris] sic mss. Giph. & Pet. meus, *adverses*.
Et quando] sic mss. meus & Pet. ecquando Giph. ut & in sequentibus.
Et habentes, & prabentes] sic mss meus, & Giph. ms. Pet. *& absentes, & praesentes*.
Et quando perpudescet &c.] sic ms. meus, & Giph. quæ desunt in ms. Pet.
Vbi] sic mss. Giph. & Pet. ms. meus *tibi*.
Facito quod lubebit] sic ms. meus.

Giph. mſ. *per me facito quod libebit*, Pet. *poſt me f. q. l.* *Parentabis*] ita mſſ. Giph. & Pet. corruptè meus, *parentibus.* *Ne pudet te*] ita mſ. meus, reliqui, *non pudet te.*

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0390
DFG

INDEX RERVM
& verborum, quæ in hoc libro, & notis continentur.

A.

Alienare 85. 112.
Abrogare magistratum 36. imperium 77.
Accedere ad amicitiam 91. ad hastam 130. ad manum 94. ad remp. 43.
Accessio pecuniæ 138.
Accipere calamitatem 44. conditionem 69. fidem 70. injuriam 135. Vulnus 8. 51. a. 78. 66.
Accredere 66.
Acquievit i. mortuus est 123.
Acroama 138.
Acta 89.
Adire capitis periculum 62. 108
Adire ad Dionem 52. ad regem 115.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0391
DFG

Adjacere mare 60.
Adesse alicui 47. 91.
Ædes Proserpinæ 53. 142.
Æquiparare 40.
Æstimata lis 24.
Affinitas 44. 47. 130. 141.
Affinis i. vir sororis. 105.
Amphipolis 25.
Anno vertente 86.
Antiquitus 137.
Antistare 18
Apparare bellum 85.
Appellere classem ad 5. 43.
Apud Trebiam 116.
Aram tenens jurare 115.
Ariobazanes 59. 66.
Arma abjicere flagitium erat 59. 112.
Artemisium 11.
Astu 12. 35.
Athenæ nobilissima civitas 41.
Autophradates 63.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0392
DFG

B.

Bagoas 38.
Barca xii.
Benè habitare 136.

C.

Capere honores 130. magistratus 102.
Capitis causam dicere 56.
Catulli elogium 136.
Citharizare 72.
Cogitatum 67.
Cognita 21. 109.
Collocare virginem 20. 73. 141.
Comitas 9. 138.
Communis 128.
Commotus nuntio 22. rebus 105.
Comparare classem 45.
Conclave editum 53.
Conditio 25. 135.
Condiscipulatus 130.
Conductitius exercitus 55.
Contendere 26.
Contra ea 79.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0393
DFG

Conjectus in vincula 8. 83.
ex consilij sententia 104.
Copula 64. 130.

D.

Dare potestates 102.
Decedere 127.
Delegare 116.
Deponere animam 114.
Decernere acie 6.
Devotio 33.
Deuti 100.
Dicere causam capitis 56.
Dicta provincia, non data 92.
Dispalatus 28. 117.
Sub Divo 95.
Divina res conficiebatur 115.
Domo se tenere 79.

E.

Efferre 20.
Emax 133.
Emittere animam 78.
Ephemeris 137.
Ephori 14. 22.
Eumolpidæ & Cerices 35. 36.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0394
DFG

Exponere de Vita 2.
Exadversum 12.

F.

Fabiani 55.
Facere amicitiam 70.
Factiosus 27.
Fistulæ puris 143.
Florentes 135.

G.

Gener i. sororius 20.
Gynæconitis præf.

H.

Hasta publica 130.
Hemerodromi 6.
Heredium 124.
Hermæ 31.
Hetærice ala 91.
Hibernacula 35.

I.

Ignorare 19.
Imperatoria forma 56.
In præsentia 8.
Indigentes opum 111. 114.
Ingratis 12.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0395
DFG

Interiret pecunia 110.
Inviolatus 74.
Invocari 27.
Iphicratiani 55.

L.

Laborioſus 30. 59.
Lege agere 108.
Lignea mœnia 10.
Litem æſtimare 24.
Loca ſola 97.
Lumina oculorum 107.

M.

Magni fuit ejus opera 43.
Magno natu 24.
Major annis natus 110.
Majores natu 10.
Manus dare 112.
Manu fortis 62.
Marathonia pugna 7.
Medimnus mentura eſt 128.
Minor annis natus 110.
Mora 55.
Multimodis 18.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0396
DFG

N.

Natu maximo filius 67.
Natu magno 24. 60.
Nuptum dare 47.

O.

Oblivionis lex 42.
Obire ſupremum diem 8.
Obſoleti honores 7.
Opulentes 58.
Opera forenſis 31.
Oſtraciſmus 15.

P.

Pax bello paritur 75.
Peltaſtæ 55.
Periculum r. breviculum 78.
Philiſtus hiſtoricus 49.
Plenus conſilij 30.
Potiri ſummam imperij 93.
Præfectus cuſtodum 99.
Præfectus Equitum 50.
Præfectus morum 113.
Præſtare officia 3.
Principia 96.
Propria r. diuturna 43.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0397
DFG

Pugna pugnata 117.
Persarum rex adorabatur 45.

R.

Rei honestiores, Athenas missi 104.
Resacrare 35.
Rescire 63. 119.
Rhapsodia Homeri 51.
Romæ, fœminæ in celebritate versantur, præs. unà cum viris convivantur ibid. 2.

S.

Saltare in vitiis ponitur Romæ 71.
Saminea 39.
Satrapæ 84.
Scribæ apud Græcos honorabiles. 91.
Scytala 22.
Secius 127.
Senatum dare 119.
Sertæ loricæ 55.
Sessores 26.
Sido 18.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0398
DFG

Steterit vadimonium 133.
Subalare telum 39.
Subornare 103.
Superior bello 33.

T.

Tenere aram 113.
Tenere se uno loco 79.
Testarum suffragia 15.
Theopompus 56.
Timæus historicus 39.
Thucydides 39.
Tyranni qui 9.

V.

Vacatio ætatis 131.
Vacuefacere 107.
Venatoria galea 64.
Veniam dare 49.
Versuram facere 128.
Vesperascente cœlo 81.
Verbis conceptis dejerare. 144.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0399
DFG

Commissa vel omissa.

Pag.
3. lin. 3. *dimicandum.*
34. lin. 13. *plebiscito.*
47. b. lin. 3. *Areten.*
51. b. lin. 24. *putabat.*
113. b. lin. ult. *locupletavit.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0400
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0402
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0403
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn766866203/phys_0404
DFG

Serpens ingens
Sertorius & ejus b
107. & seq.
Servi militantes
alterum hominum
Servile bellum
Servilii
Servius Tullus
Sextiæ aquæ
Sibyllini versus
Sicambri pop.
Sicilia 24. 33
Sicoris fluv.
Silanus
Silla infra Sylla.
Sillaces
Silvia
Supilus mons
Sociale bellum
Solis defectio
Sora op.
Soranus
Spartacus
Spoletium op.
Spurius Cassius
Stator Iupiter
Sole
Strabo Pompeju
Strangulati in c

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 032
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
mm Inch
4.5 5.0 5.6 6.3

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766866203/phys_0405
DFG